AUTHOR:

WEISE, PAUL

TITLE:

DE BACCHIDUM PLAUTINAE

PLACE:

BEROLINI

DATE:

[1883]

Master Negative #

91-80135-32

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Weise, Paul, 1853-
De Bacchidum Plautinae retractatione quae fertur, dissertatio...quam...defendet auctor Paulus Weise... Berolini, Schade, [1883]
62 p. 22½ cm.

Thesis. Berlin.

Vol. of theses.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 7/8/91 INITIALS N.T.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE BACCHIDUM PLAUTINAE RETRACTATIONE QUAE FERTUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS
PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
UNA CUM THESIBUS PROPOSITIS
DIE XXVI. M. MAII A. MDCCCLXXXIII
HORA XII

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
PAULUS WEISE
MARCHICUS.

ADVERSARII ERUNT:

M. HOELZER, DR. PHIL.
H. FREUND } SEM. REG. PHIL. SODD. ORDD.
R. WEISE }

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT A. W. SCHADE (L. SCHADE)
STALLSCHREIBERSTR. 45.46.

JOHANNI VAHLENO

PRAECEPTORI CARISSIMO

SACRUM.

Bacchides fabulam, quae usque adhuc in praestantissimarum fabularum numero habebatur, diasceuastarum vel retractatorum mala opera jam antiquis temporibus valde corruptam esse nuper ostendere conati sunt Brachmannus dissertatione *de Bacchidum Plautinae retractatione scaenica* a. 1880 Lipsiae scripta et Anspachius dissertatione, cui eadem inscripta sunt, Bonnae a. 1882 edita. Sed permulta eorum, quae ii satis confidenter[1]) de hac re posuerunt, levissime stabilita sunt et facillime redarguuntur: alia autem non adeo confirmata esse puto ut non aeque demonstrari possit praeter eas interpolationes quibus omnes fere antiquitatis libri affecti sunt nihil in hac fabula inesse, quod opinioni illi valde lubricae ullam fidem faciat. Neque aliud quidquam ii mihi effecisse videntur qui ante Brachmannum et Anspachium de hujus fabulae aut interpolatione aut retractatione per occasionem scripserunt. Ad hanc meam opinionem qua via pervenerim hac dissertatione ostendam: ac primum de iis Bacchidum locis dicam quibus praesertim interpretatione succurri puto, deinde de iis in quibus verborum quaedam copia invenitur quaeque mihi a Plauto minime aliena esse videtur.

I.

In hac parte singulos locos eo quem fert ipsa fabula ordine tractabo. Primos igitur propono

vv. 34—92 R[2]).

Ex his censet Anspachius (p. 2 sqq.) Plauti esse vv. 35—37. 39. 41. 40. 42—48. 52—55. 57—66. 68. 71. 70. 72. 89. 90.

---

[1]) Pannos et putidos centones usque quaque videt Brachmannus.

[2]) In iis quas ediderunt Ritschelius et Fleckeisenus fabulis sequor horum, in reliquis vulgatae rationem.

92.: reliquos ille alteri et tertiae recensioni tribuit. Versus autem 35—39 sic fere traditi sunt:

35. *Bac. Quid, si hoc potis est ut tu taceas, ego loquar?*
Sor. lepide, licet.
Bac. Ubi me fugiet memoria, ibi tu facito ut subvenias, soror.
Sor. Pol magis metuo mihi in monendo ne defuerit oratio.
Bac. Pol ego quoque metuo lusciniolae ne defuerit cantio. Sequere hac.

Quibus praeposuit Ritschelius e Nonii et Servii testimoniis compositum hunc versum (34):

Nam tu quidem credo excantare cuivis facile cor potes.

In his videtur v. 38 Anspachio claudicare post versum 37, bene autem conjungi cum versu 34, quem ille sorori tribuit. Itaque vv. 34 et 38 a retractatore profectos esse pro certo habet. Sed v. 38 continuandum esse versui 34 jam ea de causa demonstrari non potest quod qua in fabulae parte v. 34 positus fuerit nescimus. Deinde neque Ritschelius (opusc. II, 301) neque qui eum sequitur Anspachius recte contendunt versum 37 una cum versu 38 ferri non posse. Quamquam enim vv. 37 et 38 non integri sunt, tamen dubitari non potest quin soror versu 37 dicat non esse cur Bacchis metuat, Bacchis autem versu 38: se metuere ut blanditiis possit pavidum adolescentulum ad se allicere. Itaque aut statuendum est Bacchidem hoc versu contra sororis confidentiam perseverare in sententia, quam versu 36 jam significavit, quod apte fieri potuit, aut v. 38 continuandus est versui 36, ut Bacchis cur sororis auxilium expetat causam afferat.

Versus 52—72 sejungit Anspachius a reliquis primum ideo quod ei verba *Simulato me amare* (75), quae Ritschelius (opusc. II, 300) sic interpretatus est *nun wenn du durchaus nicht mein Liebhaber sein willst, so stelle dich wenigstens so*, cum antecedentibus discrepare videntur, quum Bacchis inde a versu 49 non dixerit se amari velle a Pistoclero. Sed sententiarum connexus alius est. Bacchis enim postquam Pistoclerum amoris commemoratione non allici sed repelli vidit (50 sqq.), dicit, hanc rem continuo omittens, se eam ob rem velle Pistoclerum adesse, ut

miles se amicam esse Pistocleri suspicetur: hac enim ratione eum sorores contra militem defensurum et sodali, cujus maxime causa ille ad Bacchides venit, operam daturum esse (57—61). Sed quum Pistoclerus neque his neque sororis verbis *Quid ab hac metuis?* mitigetur, exponit Bacchis iterum eandem sententiam versibus 73—78. Itaque verbis *ah nimium ferus es — malacissandus es — Equidem tibi do hanc operam*, quae Ritschelius sorori tribuit, significat ea Pistoclerum injuste fervere, cujus e re potissimum sit ut in domum introeat, quippe qui id agat ut sodali operam det: verbis autem *Simulato me amare* ostendit ea accuratius quid Pistoclero faciendum sit, ut miles repellatur, quod ea iterum explicat versibus 76 sq.

Deinde videtur Anspachio sensus hiare post v. 51. Haec enim in libris leguntur

50. . . . . *Quia enim intellego,*
Duae unum expetitis palumbem. perii, harundo alas verberat.
Non ego istuc facinus mihi, mulier, conducibile esse arbitror.

In quibus versibus, utut emendandi sunt, oratio prorsus Plautina inest. Nam verba *perii, harundo alas verberat* loquitur Pistoclerus vel ad se vel ad spectatores conversus. Similia inveniuntur

Merc. 324 . . . . . . *Perdis me.*
Hic homo ex amore insanit. numquid vis?

Men. 510 . . . . . . *Satin sanus es?*
Occisast haec res. non ego te indutum foras
Exire vidi pallam?

Bacch. 158 . . . . . . *Hic vereri perdidit.*
Compendium edepol haut aetati optabile
Fecisti, quom istanc nactu's inpudentiam.
Occisus hic homost. ecquid in mentemst tibi
Patrem tibi esse?

Quos versus a Ritschelio injuria transpositos esse puto. Nam mutando corporis statu, quo abruptum illud genus dicendi efficitur, exprimit actor optime animi motum. Simili in re erravit Anspachius, qui (p. 25) dicit numquam inter se componi *hic* et *ille*, ut idem homo significetur ab uno, omnesque versus, ubi hoc

1*

fiat, emendandos vel delendos esse: Lydum igitur in versu 453 dicere non posse de Mnesilocho *Mnesilochus gnati tui sodalis hic quidemst* et versu 455 de eodem *Fortunatum Nicobulum, qui illum produxit sibi.* Sed ipsa histrionum ars efflagitat ut qui modo huc modo illuc conversi loquuntur diversis pronominibus utantur. Qua pronominum varietate saepissime perspicuum demum fit quid voluerit poeta, ut in versibus 453. 455, si verba *hic quidemst* recte a Ritschelio addita sunt. Nam verba *Mnesilochus gnati tui sodalis hic quidemst* (453) dicit Lydus ad Mnesilochum conversus eique benigne adnuens vel arridens, verba autem *Fortunatum Nicobulum, qui illum produxit sibi* ad Philoxenum, ipso oculorum obtutu eum castigans, quod is suum sibi aliter produxerit. Haec oratio, quae late patet apud Plautum, etiam in nostrae fabulae versibus 239—242 invenitur, quos Auspachius eadem de causa transposuit[1]). Res autem simplicissima est. Nam verba *Extexam ego illum pulcre jam, si di volunt* e. q. s. dicit Chrysalus ad spectatores conversus, qui ad Nicobulum in scaenam prodeuntem aspiciunt, verba autem *Adibo hunc, quem quidem ego hodie faciam hic arietem Phrixi* e. q. s. ipsum Nicobulum audacter intuens et aggrediens.

Sed redeundum est ad vv. 52—72, quos a Plauto profectos neque tamen liberos esse ab alienis Anspachius putat. Versum enim 55 *Magis illectum tuum quam lectum metuo: mala tu's bestia* moleste ei videtur sequi v. 56 *Nam huic aetati non conducit, mulier, latebrosus locus*, quo alteram timoris sui causam Pistoclerus afferat. Verum non alteram causam affert Pistoclerus versu 56 sed eandem quam dixit versu 52 *Non ego mihi istuc facinus, mulier, conducibile esse arbitror.* Quo id facinus non conducibile sibi esse dicit, si in Bacchidum aedes intret ibique bibat et amet (cfr. 47 sqq.). Pistoclerus igitur postquam versu 55 ad Bacchidis verba *Quid est quod metuis* e. q. s. (54) respondit, dicit versu 56 se perseverare in sententia jam antea prolata.

Neque vv. 67 et 69 ferri non posse Anspachio concedo, quamquam v. 67 jam a Ribbeckio (praef. Stich. Ritsch. p. 18) propter versum antecedentem damnatus est. Nam aliam esse

[1]) Contra Brachmannum, qui duplicem recensionem in iis vidit, eos in altera parte defendam.

condicionem v. 66 *Penetrare hujusmodi in palaestram, ubi damnis desudascitur*, aliam v. 67 *Ubi pro disco damnum capiam, pro cursura dedecus* ex diversis verborum modis (*ubi desudascitur — ubi capiam*) apparet. Versu enim 66 significat Pistoclerus in universum palaestram damnorum plenam, versu 67 explicat idem accuratius hanc sententiam, quo in versu aptissime inter se componuntur vocabula *damnum* et *dedecus.* Neque offendendum est in iteratione vocabuli *damnum*, quae, quamquam non nimis pulchra, tamen a Plauto non aliena est. Sic legitur Aul. II, 2, 14 *Virginem habeo grandem, dote cassam atque inlocabilem Neque eam queo locare quoiquam*, Cistell. I, 2, 2 *quae ubi saburratae sumus, Largiloquae extemplo sumus: plus loquimur, quam sat est*, Trin. 849 *quem ego qui sit homo nescio, Neque novi, neque natus necne is fuerit, id solide scio.* Alia inveniuntur Men. 242 sqq., Curc. 20 sqq. Multo minus haerendum est in versu 69 *Ubique inponat in manum alius mihi pro cestu cantharum*, qui Anspachio suspectus est, quod vocabulum *cantharus* fere idem significet ac *scaphium* quod est in versu 70 *Pro galea scaphium, pro insigni sit corolla plectilis*, deinde quod versibus 68—72 Pistoclerus non de palaestrae sed de belli armatura loquatur. Sed facile intelligitur vim orationis inesse in oppositis vocabulis *cestus* et *galea*, promiscue autem proferri in his versibus omnia quae in palaestra et hippodromo exercebantur, ut Most. 150 *Quo neque industrior de juventute erat Arte gymnastica: Disco, hastis, pila, cursu, armis, equo* et Bacch. 428.

Alia, quae Anspachius ad vv. 34—92 attulit, omitto. Nam et hic et alibi meum esse non duxi leviora, quibus praesertim Anspachius abundat, refellere.

vv. 109—169.

Quae his continetur versibus scaena lepidissima multis et miris modis praesertim a Brachmanno et Anspachio temptata est. Ille (p. 115 sqq.) abjudicavit a Plauto vv. 125. 126. 132. 133. 150. 151. 159. 160. 166. 167. Anspachius (p. 6 sqq.) Plauto reliquit vv. 109—120. 121. 124. 127—136. 145. 146. 147. 151. 152. 148. 150. 159. 160. 163—165. 168. 169.

Brachmannus autem, quum ejiceret vv. 125. 126

Lyd. Non hic placet mi ornatus. Pist. nemo ergo tibi
Hoc apparavit: mihi paratumst, quoi placet,

credidit Ladewigio (Philol. XVII, p. 269) et Goetzio (Act. societ. Lips. VI, p. 320) hos versus ferri non posse cum insequentibus

Lyd. Etiam me advorsum exordire argutias?

quod argutiae in iis non inessent: Anspachius rursus potissimum connexum sententiarum iis interrumpi sibi persuasit. Sed argutias re vera inesse in versibus 125. 126 facillime intelligitur: Nam Pistoclerus respondet ad Lydi verba *Non hic placet mi ornatus*, quibus ille significat sibi non placere quod Pistoclerus habeat hunc ornatum, *nemo ergo tibi Hoc apparavit: mihi paratumst quoi placet*, quasi Lydus dixerit: 'nihil moror hunc ornatum'. Deinde quo consilio verba *Non hic placet mi ornatus* posita sint, Anspachius non perspexit. Lydus enim, omittens Pistocleri nugas, redit his ad priorem suam sententiam *Jam dudum, Pistoclere, tacitus te sequor, Inspectans, quas tu res hoc ornatu geras* e. q. s. (109 sqq.). Saepissime autem videmus apud Plautum jocantes vel rixantes inter se ad alia digressos reverti ad priorem sententiam, ut Asin. 336—343 sqq., Epid. I, 1, 19—38, Curc. 1—12, Capt. 183—191 et 894—900, Men. 185—207.

Quare Brachmannus vv. 132. 133 tollat eorumque in locum vv. 163—165 substituat intelligi vix potest, quum vv. 134. 135 artissime cum antecedentibus conjuncti sint. Nam versui 132 *Jam perdidisti te atque me atque operam meam* respondet v. 134 *Ibidem meam operam perdidi ego, ubi tu tuam*, versui 133 *Qui tibi nequiquam saepe monstravi bene* v. 135 *Tua disciplina nec mihi prodest nec tibi.* Positis autem versibus 163—165 pro 132. 133 sententiarum connexus perturbatur. Nam illis objurgat Lydus discipulum suum, versus autem 132. 133 exclamat ille, dolore victus, quod optime consentit cum verbis *O praeligatum pectus* (136) et *illuc sis vide: Non paedagogum jam me, set Lydum vocat* (137 sqq.). Sed injuria ego videbor Anspachio postremos versus attulisse, qui persuasum habet non a Plauto compositos esse vv. 137—144

(Pist.) Tace atque sequere, Lyde, me. Lyd. illuc sis vide:
Non paedagogum jam me, set Lydum vocat.
Pist. Non par videtur neque sit consentaneum[1])

[1]) vv. 139—142 emendavit Vahlenus Herm. XV, p. 259.

Quom <ephebus> intus sit et cum amica accubet,
Quomque osculetur et convivae alii accubent,
Praesentibus illis paedagogus ut siet.
Lyd. An hoc ad eas res opsonatumst, obsecro?
Pist. Sperat quidem animus: quo evenat, dis in manust.

Primum enim ille non intelligit cur Lydus versu 137 demum animadvertat se non jam paedagogum vocari, quum Pistoclerus eum jam bis antea (121. 129) Lydum appellaverit. Sed hi loci Lydo occasionem hujus rei eloquendae non praebent, quoniam reliqua, quae Pistoclerus ibi profert, multo graviora sunt. Aptissime autem animadvertit illud Lydus, ubi primum discipulum imperiosum videt (cfr. *Tace atque sequere, Lyde, me*). Atque haec Lydi verba concinunt cum antecedentibus *O praeligatum pectus*, quum his duabus sententiis Lydus significet et praecepta et praeceptorem a discipulo jam contemni. Similiter errasse mihi videntur ii qui v. 147ª (152 R.) *Jam excessit mihi aetas ex magisterio tuo* propter v. 151 *Magistron quemquam discipulum minitarier?* transposuerunt. Lydus enim, attonitus Pistocleri verbis *cave malo* (147), non respicit quae ille versu 147ª, ut se excuset, dicit; sed ante omnia levat animum lamentationibus (148—151). Versibus 153 sq. demum se convertens ad Pistoclerum ei ita respondet ut ipse discipulum repudiet.

Versus autem 139—142, qui arte cohaerent cum versibus 137 sq., molestos esse post vv. 115 sq., ubi Pistoclerus paedagogo, interroganti quis habitet ibi quo se conferat discipulus, respondet

Amor, Voluptas, Venus, Venustas, Gaudium,
Jocus, Ludus, Sermo, Suavisaviatio

et post vv. 130 sq., quibus idem dicit

Magis unum in mentest mihi nunc, satis ut commode
Pro dignitate opsoni haec concuret cocus,

quis umquam Anspachio credet? Is debebat libere profiteri se vv. 139—142 eam ob rem ejicere quod ii ab antecedentibus sejungi non possunt. Neque alia de causa videtur Anspachius vv. 143. 144 diasceuastae tribuisse. Nam post eos non bene legi verba *Tu amicam habebis?* vix ipse credet. Eos enim qui aliquid admirantur nec credere possunt iterum et accuratius interrogare notissimum est. Qua re ipse Plautus lusit Trin. 986 *Syc. Eho,*

quaeso, an tu is es? Char. Is enim vero sum. Syc. Ain tu tandem? is ipsusne's? Char. Ajo. Syc. Ipsus es? Char. Ipsus, inquam, Charmides sum. Syc. Ergo ipsusne's? Char. Ipsissumus.

Versus 121—124, 148—151, 161. 162. 166. 167, de quibus in parte altera accuratius dicam, praetermitto hoc loco.

vv. 244—367.

Ex his iidem, Brachmannus p. 132 sqq., Anspachius p. 13 sqq., permulta in suspicionem vocaverunt. Anspachius enim miratur Brachmannum non haesisse in versu 302

Palam atque aperte, ut illi id factum sciscerent.

qui propter verbum *sciscerent* et antecedenti et insequentibus versibus, quibus significetur praedones praesentes factum vidisse, repugnet. Anspachius igitur putat verbum *sciscere* idem tantum valere ac verbum audiendi. Sed hoc neque Amphitruonis versu 1069 *adcurro, ut sciscam quid velit,* quem Anspachius affert, neque simili sententia, quae apud Nonium invenitur p. 505, 25 *Ibo ad eam, ut sciscam quid velint*, efficitur. In his sane id agitur ut aliquid audiendi sensu in mentem recipiatur, quoniam nos sententias nostras verbis significare solemus: sed quum ex his appareat praesentes audire qui ita audiunt, nihil impedit, quominus statuamus verbum sciscendi etiam poni, si quid videndi sensu in animum recipitur. Atque hanc ipsam notionem invenimus in resciscendi verbo. Nam Chrysalus, qui Bacch. 826 Nicobulo dicit *Quom illum rescisces criminatorem meum Quanto in periclo et quanta in pernicie siet*, ducit eum postea ad filium, ut ipse eum videat cum Bacchide cubantem.

Graviora sibi invenisse videtur Anspachius in versibus 303—341, ex quibus ille vv. 307. 312—314. 335. 336, quibus pecuniam Nicobuli publicitus in aede Dianae servari dicitur, Plauto abjudicat. Nam huic rei eos putat Anspachius repugnare versus, quibus Nicobulus ostendit se metuere ut pecuniam a Theotimo, quem sacerdotem esse Dianae Chrysalus dixit, recuperet, quum illis temporibus pecuniam in Dianae aede depositam esse securitatis causa satis notum sit, neque quisquam potuerit diffidere sacerdoti Dianae. Sed quid hoc attinet ad poetae consilium, qui talem Nicobulum finxit, qui ne sacerdoti quidem Dianae satis crederet? Ne Chrysalus quidem potest ejus suspicionem

removere, quamquam id ipsum quod Anspachius dicit, Nicobulo his verbis opponit (312) *Quin in eapse aede deae Dianae conditumst: Ibidem publicitus servant.* Neque enim Anspachius, neque, ut videtur, alii satis perspexerunt vim comicam hujus loci, quae nimirum in eo posita est quod Nicobulus in mera Chrysali mendacia magna cum diligentia animum advertit et ipsa diffidentia quam misere credulus sit optime ostendit. Quare etiam vv. 307 et 309 a Bothio et Bergkio (diurn. antiq. stud. 1850 p. 331) vix recte transpositi sunt neque jure deleti vv. 335. 336 a Brachmanno (p. 133).

Probe erravit Brachmannus in extrema hac scaena, qui versum 364 interpolatoris, versus autem 363. 365, qui supervacanei sint propter vv. 361. 362, retractatoris esse contendit et has duas recensiones effecit:

A.

361. *Credo hercle adveniens nomen mutabit mihi*
Facietque extemplo Crucisalum me ex Chrysalo.

B.

363. *Aufugero hercle, si magis usus venerit.*
[Si ero reprehensus, macto illum infortunio:]
Si illi sunt virgae ruri, at mihi tergum domist.

De quibus postremis versibus Brachmannus haec dicit: *Impedit mutuas sententiarum rationes v. 364. Confinium enim utrimque versuum quum hoc sit argumentum: 'Si domi me quaeritabit iratus erus, rus aufugero: si ruri, jam domum rediero': apparet alienissimam esse ab his medii sententiam: 'Si ero reprehensus, macto ego illum infortunio'.* Brachmannus igitur putat Chrysalum etiam versu 365 de fuga loqui: quod si ita esset, repugnarent nimirum huic versui verba *si ero reprehensus* antecedentis versus. Sed illa versus 365 explicatio prava est. Chrysalus enim, vocabulis *ruri* et *domi* ludens, dicit hoc: 'ut ero sunt virgae ruri, ubi crescunt, ita mihi tergum innatum est'. Nam dici solere *domi habere aliquid* pro *ipsum habere* notissimum est (cfr. Bacch. 648 Cist. II, 1, 2). Itaque sensus versuum 363—365 est hic: 'Aufugero, sed si ero reprehensus, dabo ero malum. Nam tergum meum durius est eri virgis'. Ex quibus apparet v. 364 hoc loco deesse nullo modo posse. Simillima inveniuntur Asin. 318

Si quidem omnes conjuratim cruciamenta conferant: Habeo opinor familiarem tergum, ne quaeram foris, cum quibus una respiciantur Asin. 341 *Ipsos* (sc. asinos), *qui tibi subvectabant rure huc virgas ulmeas* et Bacch. 886 *Et ego te et ille mactamus infortunio: Tibi sist machaera, at nobis veruinast domi.* Illos versus autem non supervacaneos esse post 361. 362 facile intelligitur. Nam versibus 361 sq. reputat Chrysalus secum, quantum periculum ero decipiendo subierit, illis ipse se consolatur, qua re aptissime tota Chrysali contemplatio clauditur. Praeterea nullo modo offendemus cum Brachmanno in voce *hercle* initio versuum 361 et 363 posita, quum haec et similes saepissime repetantur, ut Men. 255. 256, Asin. 139. 140, Bacch. 1002. 1003.

Anspachius, qui in versu 365 interpretando Brachmannum temere secutus est, non vv. 363—365, quibus solo transponendi artificio succurrit, sed vv. 361. 362 retractatori tribuit. Hos enim ferri posse negat una cum insequentibus, quod Nicobulus, si Crucisalum faciat ex Chrysalo, non afferat virgas, sed cruci affigat servum. Sed versibus 361. 362 suspicatur tantum Chrysalus futura (cfr. *Credo hercle . .*) insequentibus autem, in quibus se consolatur, dicit audacter se in nullo periculo versari.

Postremo refellenda mihi est Ussingii sententia, qui vv. 366 sq.

Nunc ibo: erili filio hanc fabricam dabo
Super auro amicaque ejus inventa Bacchide

uncis inclusit, quod ei neque verbum *dabo* recte positum esse, neque *fabrica* et ad aurum dolo comparatum et ad inventam Bacchidem referri posse videtur. Quod mihi non comprobatum est. Nam *dare* in tali sententiarum connexu fere idem valere atque *ostendere* satis notum est. Deinde docemur Pseuduli versibus 925 sq. *habe animum bonum: Pulcre ego hanc explicatam tibi rem dabo* voce *fabrica* nostro loco nihil aliud significari nisi rem bene perfectam, quod optime consentit cum reliquis.

vv. 393[b]—403[a].

Hos versus Plautinos non esse contendit Ritschelius cum K. H. Weisio, eosque secutus est Brachmannus. Sed ante omnia singulorum versuum sententiae explanandae sunt, quum et Brachmannus (p. 92 sq.) et Anspachius (p. 22 sq.) in eorum bona parte offendant eamque aut interpolatori aut retractatori

tribuant. Atque hoc quidem apertum est posteriorem v. 393 partem non recte traditam esse, quum libri exhibeant *sed eccum video incedere*, quae verba extremo versu 403 rectius redeunt. Sed pro his aliquid scriptum fuisse, quo Mnesilochus significaret se gratum esse debere, facile ex insequentibus colligitur. Haec autem apud Ritschelium sic leguntur

394. *Nam pol, meo quidem animo, ingrato homine nihil inpensiust.*
Malefactorem amitti satiust quam relinqui beneficum.
Nimio inpendiosum praestat te quam ingratum dicier.
Illum laudabunt boni: hunc etiam ipsi culpabunt mali.

In quibus ut intelligatur quae sit sententia vocis *inpensius* (394), respiciendi potissimum sunt vv. 395—397, quorum sensum hunc esse puto: 'Malefactorem amitti satius est quam relinqui beneficum, quod ille nocet, hic autem nobis prodest (395). Itaque nos aliquid impendere, ut beneficum retineamus[1]) quam ingratos esse praestat (396). Nam eum qui sibi retinuerit beneficum, quamquam impendiosus est, laudabunt boni, eum autem qui beneficum reliquerit non solum boni culpabunt, quod ingratus est, sed etiam ipsi mali, quod idem, quamquam videtur suo commodo inservire, tamen re vera ei non consulit (397).' Quae si recte explicata erunt, vocabuli *inpensius* sententia non latebit. Nam quum ex versibus 395—397 appareat ingratum hominem dici stultum, in illo autem vocabulo notio largitatis et magnitudinis insit, versu 394 ironice dici ingrato homine nihil esse *elatius (nichts aufgeblaseneres)* crediderim. Quae interpretatio et commendatur Captivorum versu 806 *Vae misero illi quojus cibo iste factus est inpensior*, in quo editores recentiores *imperiosior* scripserunt, et optime convenit cum versu 396, in quo verbis *ingrato homine nihil inpensiust* facete oppositum erit *nimio inpendiosum praestat te dicier.* Sententia autem versuum 394—397 sic comparata est ut quae versu 394 dicta sunt, versibus 395—397 stabiliantur. Reliqua, quae hos versus sequuntur, plana et perspicua sunt. Nam Mnesilochus admonet his se ipse, ut talis sit qualem esse debere hominem probum antea vidit.

---

[1]) cfr. Asin. 672 *Age, mi Leonida, opsecro, fer amanti ero salutem: Redime istoc beneficio te ab hoc et tibi eme hunc isto argento* et Asin. 72, Rud. 939.

Neque debebat Brachmannus versum 399 *Nunc, Mnesiloche, specimen specitur, nunc certamen cernitur* ideo ejicere quod similia leguntur Cas. III, 1, 1 *Nunc amicine an inimici sis imago, Alcesime, Mihi sciam. nunc specimen specitur, nunc certamen cernitur* et Most. 132 *Igitur tum specimen cernitur, quo eveniat aedificatio.* Quibus ipsis demonstratur verba illa in stabilitatem quandam venisse, quae etiam in aliis sententiis invenitur. Sic legitur Capt. 529 *Neque Salus servare, si volt, me potest*, Most. 351 *Nec Salus nobis saluti jam esse, si cupiat, potest*, Ter. Adelph. 761 *ipsa si cupiat Salus Servare prorsus non potest hanc familiam:* deinde Capt. 523 *Nec confidentiae usquam hospitiumst*, Most. 350 *nusquam stabulumst confidentiae.* Solum vocabulum *comincommodus*, quod libri in versu 401 exhibent, insolens et a sententia reliquorum alienum esse videtur. Pro quo *tristis commodus*, quod Ritschelius cum Hermanno scripsit, accipiendum erit, nisi forte correpta prima vocabuli *incommodus* syllaba *comis incommodus*, quod Buggius commendavit, probabilius sit.

Hos autem versus Plautinos non esse persuadere mihi non possum. Nam eos cum antecedentibus non discrepare satis intelligitur, quum versibus 385—393ᵃ dicatur verum amicum maximi pretii esse, quod nobis maxime prosit, his autem prorsus recte concludatur cavendum esse ne tales amici amittantur. Deinde omissis his versibus habemus canticum quale saepissime apud Plautum invenitur, in quo is qui solus in scaenam prodit, a sententia generali proficiscens, aliquid memorat. Additis autem versibus 393ᵇ—403ᵃ prorsus alia vis in hoc cantico ponitur. Nam iis eriguntur spectatorum animi et convertuntur ad futura, et quidem aptissime, quum paulo post de amicitia agatur et alter Chrysali dolus ea de causa requiratur, quod Mnesilochus, Pistoclerum falsum amicum esse suspicans, omne aurum patri reddit. Praeterea hos versus satis ridiculos esse propter insequentia, ubi Mnesilochus Lydi verbis docetur se praepropere amicitia gavisum esse, nemo non videt. Postremo ipsa quae initio cantici posita sunt verba *Multimodis meditatus egomet mecum sum* demonstrare videntur vv. 393ᵇ—403ᵃ retinendos esse. Etenim iis commovemur ut amplius canticum exspectemus, quum ea cantica in quorum initio similia inveniuntur omnia copiosiora sint, ut Most. 85—156, Trin. 223—275.

Jam horum versuum sententias non solum morales sed aliquatenus cum fabulae argumento conjunctas esse ostendisse mihi videor. Atque hoc multo magis quadrat in

vv. 540—551

quos Studemundus (Festgruss d. philol. Gesellsch. z. Würzburg p. 40 sq.) ideo a Plauto abjudicat, quod ii neque in quibusdam Charisii exemplaribus fuisse videntur neque in Ambrosiano inveniuntur, deinde quod ii non solum sine sententiarum damno desiderari possint, sed etiam concitato adolescentum sermoni repugnent. Sed illo priore argumento fere nihil efficitur, quum Plauti fabulas nisi multo ante Ambrosiani aetatem retractari non potuisse satis constet, eamque ob rem in Ambrosiano genuinae recensionis vestigia servata esse credi vix possit. Veri similius est et hos et similes versus, quibus merae sententiae morales proferri videntur, ab eo ad cujus recensionem et Ambrosianus et Charisii libri referendi sunt pro insiticiis habitos et deletos esse: idque nostro loco injuria: nam equidem contenderim vv. 540—551 aptissime in hac scaenae parte positos esse. Primum enim vv. 540—544

Multi more isto atque exemplo vivont, quos quom censeas
Esse amicos, reperiuntur falsi falsimoniis,
Lingua factiosi, inertes opera, sublesta fide.
Nullus est, quoi non invideant rem secundam optingere:
Sibi nec[1]) *invideatur, ipsi ignavi recte cavent*

neque a Pistoclero, qui se disertissimi magistri praecepta optime memoria tenere jam in initio fabulae (62—64. 65—73) satis ostendit, alieni sunt neque facile sejunguntur ab antecedentibus

538. *Pist. Num quae advenienti aegritudo objectast? Mnes. atque acerruma.*
Pist. Unde? Mnes. ab homine, quem mi amicum esse arbitratus sum antidhac,

quum verbis *quos quom censeas Esse amicos* (540) Pistoclerus planissime respondeat ad Mnesilochi verba *quem mi amicum esse arbitratus sum antidhac* (539). Ex his autem intelligit Mnesi-

[1]) Cum Kochio (Mus. Rhen. 25, 617).

lochus, qui se a Pistoclero deceptum esse pro certo habet, eum flagitium suum ne profiteri quidem velle. Itaque respondet

Edepol ne tu illorum mores perquam meditate tenes.
Set etiam unum hoc: [1]) *ex ingenio malo malum inveniunt suo:*
Nulli amici sunt, inimicos ipsi in sese omnis habent.
Atque i se quom frustrant, frustari alios stolidi existumant.
Sicut est hic, quem esse amicum ratus sum atque ipsus sum mihi.
Ille, quod in se fuit, accuratum habuit, quod posset mali
Faceret in me, inconciliaret copias omnis meas.

Quibus versibus ille magna cum acerbitate significat se omnem rem scire sibique odiosum esse Pistoclerum. Versibus enim 545—548 dicit Mnesilochus: 'Falsorum amicorum mores idcirco bene novisti quod ipse falsus amicus es (545). Sed non vidisti me ipsum nunc tibi inimicissimum fore (546 sq.). Tu, qui ipse maxime te frustratus es, tam frustra es ut perfidiam tuam etiam me celare audeas' (548) [2]). Insequentibus (549—551) redit Mnesilochus acrius ad sententiam, quam versu 539 protulit *Ab homine, quem mi amicum esse arbitratus sum antidhac.* Jam hic Mnesilochum oculorum obtutu indicasse illum hominem esse Pistoclerum facile conjici potest. Verbis autem *Sicut est hic* e. q. s. (549) intendit Mnesilochus ipsum digitum ad Pistoclerum. Ad quae is postea valde ridicule respondet *Improbum istunc esse oportet hominem* (552), his ostendens se amici verba omnino non perspexisse, eumque oleum et operam perdidisse. Quae intercedunt *Ille quod in se fuit* e. q. s. (550. 551) [3]) loquitur Mnesilochus indignans, dum oculos a Pistoclero avertit.

His quae Brachmannus et Anspachius de hoc loco protulerunt, quorum alter cum Studemundo omnes versus a Plauto

[1]) Sic distinxit orationem Vahlenus in ind. lect. Berol. a. 1880, p. 8.

[2]) Hunc versum a Mnesilocho indignatione exclamari Brachmannus non perspexit, qui, eum cum antecedente conjungens, offendit in subjecto iterum elato.

[3]) cfr. Capt. 670 sqq.

abjudicat, alter vv. 539. 540—542. 545. 549. 550. 551. 553. retinet, jam satis refutata esse puto.

vv. 783—786.

Chr. Men criminatust? optumest: ego sum malus,
Ego sum sacer, scelestus. specta rem modo.
Ego verbum <nullum> faciam. Nic. etiam, carnufex,
Minitare? Chr. nosces tu illum actutum qualis sit.

Ladewigius (Philol. XVII, p. 269) offendit in verbis *Ego verbum <nullum> faciam* (785), in quibus ille nullas minas inesse putat, nisi Nicobulus antea admonuerit Chrysalum ut facinus suum fateretur. Itaque continuat ille versui 784 versum 787, vv. 785 sq. autem dittographiam esse censet versus 841, qua ex re intelligi possit duplicem hujus scaenae exitum exstare. Sed Ladewigium in hac re errasse puto. Nam non solum ad verba *Ego verbum <nullum> faciam* respondet Nicobulus, quum dicit *Etiam, carnufex, Minitare?*, sed ad omnia quae Chrysalus dixit. Is enim in hac scaena id agit ut Mnesilochum patri suspectum reddat. Itaque quum loquatur versibus 783—785, quasi iratus sit ob ea quae Mnesilochus patri dixit, significat ille verbis *ego sum malus, Ego sum sacer, scelestus* se innocentem, Mnesilochum autem noxium esse, verbis *specta rem modo: Ego verbum nullum faciam* Nicobulum stulte fecisse, quod filio crediderit. Nam horum ambiguorum verborum sensus alter est: 'Inquire accuratius in ea quae Mnesilochus de me dixit, num me scelestiorem invenire possis. Tibi non timendum est ne me defendam:' alter: 'si accuratius in rem inquisiveris, invenies te a filio deceptum esse. Ego autem nullum verbum faciam, quum mihi credere nolis' (cfr. 699 sq.). Atque ad haec spectat Chrysalus versibus 854—856 *Quid nunc? scelestus tibi videtur Chrysalus? Age nunc vincito me, auscultato filio. Dixin tibi inventurum te, qualis siet?* Ad acerba autem illa Chrysali verba optime potuit respondere Nicobulus *Etiam, carnufex, Minitare?* [1])

[1]) cfr. Truc. II, 7, 59 *Accede huc modo, adi huc modo.* || *Etiam, scelus viri, minitare?*

vv. 842—904.

Anspachius (p. 36) miratur quod nemo hos versus valde perturbatos esse intellexerit. Cleomachus enim dicit versibus 859 sq.

Nihil est, lucri quod me hodie facere mavelim,
Quam illum cubantem cum illa opprimere, ambo ut necem,

post versibus 863 sq.

Tum illam, quae corpus publicat volgo suum,
Faxo se hau dicat nactam, quem derideat.

Quae verba Anspachius sic interpretatur ut miles dicat se primum et Mnesilochum et Bacchidem interfecturum, deinde autem se prohibiturum esse ne a Bacchide derideatur. Quae quum inepta sint, tollendos esse vv. 859. 860 una cum versu 861. Sed ille vim adverbii *tum* non perspexit. Nam miles dicit versibus 859 sq. se optare ut possit Mnesilochum cum Bacchide cubantem opprimere et ambo necare, ad hanc autem occasionem spectans versibus 863 sq.: *tum*, i. e. *eo tempore*, se prohibiturum esse ne a Bacchide derideatur. Similia inveniuntur in versu 828 *Tum libertatem Chrysalo largibere.* Aptissime deinde continuati sunt vv. 859 sq. antecedentibus *jube sis me exsolvi cito: Nam ni ego exsolvor, jam manufesto hominem opprimet,* quum haec Chrysali verba iis statim comprobentur, Nicobulus autem, adhuc dubitans, commoveatur ut Chrysalum exsolvi jubeat.

Alia invenit Anspachius in iis quae paulo post sequuntur. Chrysalus enim dicit militi 873 *Vis tibi ducentos nummos jam promittier, Ut ne clamorem hic facias neu convicium? — Atque ut tibi mala multa ingeram?* Haec quae sibi depactus est secundo loco efficit quantum potest Chrysalus versibus 884 sqq., in quibus militem ita deridet ut dicat non solum ejus minas, quibus ille in initio hujus scaenae valde abundaverat, non metuendas esse, quod ipsi, Chrysalus et Mnesilochus, militi pares viribus sint (885—889), sed ne jure quidem militem Mnesilocho minitatum esse, qui omnino non sit cum muliere militis (890—897. 899—901). Haec Chrysali verba meras nugas esse intelligit miles, qui versu 892 dicit *Immo est quoque*, deinde versu 899 ironice *Ubi nunc Mnesilochus ergost?* versu autem 902 *Abeo ad forum igitur* Chrysalo omnino non respondet. Sed Nicobulo, cui persuasum est

filium non insontem esse, quoniam ipse eum cum muliere accubantem vidit, miles re vera Chrysali minis et perjuriis commoveri videtur, ut contentus sit auro promisso et desistat in aedes pergere. Recte igitur dicit ille versu 898 *Ut jurat. servat me ille suis perjuriis.*

In his quae Plauto prorsus digna sunt — nam hoc more solent apud eum gloriosi milites tractari [1]) — Anspachius ita offendit ut vv. 884—901 tollat eosque ei recensioni tribuat in qua miles a solo Chrysalo repulsus sit. Quae ille hujus rei argumenta attulit jam satis interpretatione mea refutata esse puto. Nam ei maxime displicet quod miles jam sedatus denuo repellatur et senex pactione cum milite facta dicat *servat me suis perjuriis.* Neque recte ille contendit non bene dicere Chrysalum *numquid debetur tibi?* (884), quum re vera militi ducenti nummi debeantur. Nam his verbis usitatissimis interrogat Chrysalus, num quid aliud requirat miles [2]), hac re significans effecta esse quae miles voluerit.

vv. 1120—1140.

Hos versus, quibus meretrices Nicobulum et Philoxenum derident, ante vv. 925 sqq., quo cantico Chrysalus facinora sua laudibus extollit, eam ob rem tractabo, quod mihi horum interpretatione effici videtur, ut quae sit ratio illius cantici facilius intelligatur. Ac primum mihi de Brachmanni sententia dicendum est, qui (p. 150) hos versus ita distribuit ut utriusque recensionis sint vv. 1120. 1121, recensionis A: vv. 1122—1132. 1140, recensionis B: vv. 1133—1136. 1138. 1139. Ei enim inepte videtur soror versu 1139 de senibus dicere *Ne balant quidem,* quum illi re vera locuti sint. Sed suo jure dicit hoc soror. Nam senes, ubi primum oves appellati sunt a meretricibus, iis omnino nihil respondent sed solum inter se loquuntur. Qua in re vix addendum est saepissime scaenae condicione postulari ut, quae solis spectatoribus dicuntur, etiam reliqui, qui in scaena sunt, audiant. Porro errat Brachmannus, quum dicat verbis *non*

[1]) cfr. Curc. 574 sqq.
[2]) vide Mil. 421 et, quos ipse Anspachius attulit locos, Most. 618, Pseud. 1139.

vides, ut palantes Solae liberae Grassentur? (1136 sqq.) prorsus idem significari ac verbis *pastor harum Dormit, quom eunt sic a pecu palitantes* (1122 sq.). Nam ibi ex sententiarum connexu facile colligitur oves morbosas dici — tales enim solas grassari satis nota res est [1]) — versibus autem 1122 sq. respondet soror ad Bacchidis verba *quis has oves adegit?* ita ut dicat: 'nemo eas adegit, sed eunt quo ire iis non liceret, nisi pastor dormiret'. Neque quisquam offendet cum Brachmanno in similitudine, quae intercedat inter v. 1129

Bac. Vetulae sunt minae ambae. Sor. at bonas fuisse
credo

et vv. 1133 — 1136

Bac. Cogantur quidem intro. Sor. Haut scio quid eo
opus sit:
Quae nec lacte nec lanam habent. sic sine astent.
Exsolvere, quanti fuere: omnis fructus
Jam illis decidit,

quum his accuratius et uberius causae fingantur, cur oves ne dignae quidem sint quae intromittantur: qua re in hoc extremo sermone senes acerbissime deridentur. Postremo quod Brachmanno gravissimum, quo retractatio hujus loci cognoscatur, videtur, quum ille inter vv. 1133 sqq. et vv. 1149—1153, quibus Bacchides de senibus intro illiciendis consultant, tam miram intercedere discrepantiam putet ut dubitari prorsus nequeat, quin ab alio poeta aliud consilium secuto hi, ab alio illi compositi sint, omnino nihil est. Nam si vera est Brachmanni sententia, etiam vv. 1120 — 1131 retractatori tribuendi sunt, qui prorsus eodem modo repugnant blanditiis quibus postea senes a meretricibus pelliciuntur. Sed hae agunt in hac scaenae parte nihil aliud, nisi ut senes derideant, postea autem, ubi vident malum sibi ab iratis senibus datum iri, blanditiis eos mitigare conantur. Qua in re quantum meretrices impudentiae concrediderint quis mirabitur?

---

[1]) Ajax insaniens dicitur a Sophocle (614) *φρενὸς οἰοβώτας*.

Anspachius, qui Brachmannum fere ubique sequitur, ipse ultra progressus est (p. 53 sq.). Versus enim 1127—1129 sic apud Ritschelium leguntur

Bac. Rerin ter tu in anno has ovis tonsitari?
Sor. Pol hodie altera haec jam bis detonsa certost.
Bac. Vetulae sunt minae ambae. Sor. at bonas fuisse
credo.

In quibus Anspachius intellexit sensum hiare inter vv. 1128 et 1129: *nam*, inquit, *quo jure oves, quae ter in anno detondentur, dici potest esse vetulas minas?* Illi igitur persuasum esse videtur Nicobulum et Philoxenum a meretricibus certis ovibus per totam hanc scaenae partem substitui. Sed hanc interpretationem si sequemur, etiam alia, quae inter se discrepant, hoc loco inveniemus [1]) neque multa relinquentur, quae Bacchides et de senibus et de illis ovibus, quibus eos substituerunt, justo jure dicant. Atque re vera Anspachius ex tribus quas hoc loco invenit recensionibus Plauto vv. 1120. 1121. 1133—1140 tribuit, perpauca igitur reliquit. Sed prorsus aliter hic locus interpretandus est. Bacchides enim id agunt potissimum ut senibus vitia opprobrent, qua in re gravissima ea quae dicunt sorores omnino non inter se discrepant. Ludibrium autem in eo positum est quod meretrices senes nobiles cum humilibus animalibus comparare conantur, deinde in eo quod illae re vera nonnulla eruunt, quae et de illis senibus et de his animalibus dici possunt, iisque ostendunt se jure hanc comparationem instituisse. Sed quum de singulis hujus generis animalibus tantum dici non possit, quantum meretrices de senibus proferre cupiunt, depromunt eae quae apta sunt ex totius generis moribus. Quae licentia rei natura efficitur neque umquam in ampliore comparatione evitari poterit. Itaque Bacchidis verbis *Rerin ter tu in anno has oves tonsitari?* non repugnant ejusdem *Vetulae sunt minae ambae*, quum ii qui ovibus substituuntur ipsi et decepti et veteres sint. Neque in abruptiore hujus loci sermone offendemus. Nam quae Bacchides loquuntur, similia sunt convicii, in quo singula tantum proferri solent, ut Pseud. 360 sqq.

---

[1]) Neque poterit Nicobulus dicere 1140 *hae oves volunt vos*, 1148 autem *Arietes truces nos erimus*, quum ex ovibus arietes truces fieri numquam quisquam audiverit.

Jam pervenio ad

vv. 925—978

qui ratione simillimi versuum 1120—1140 sunt. In his praeter Guyetum nemo gravius offendit, dum Kiesslingius in Analectis Plautinis a. 1878 Gryphisw. editis eos accuratius tractavit et vv. 931. 945—952. 961 ut additamenta posterioris aetatis ejecit, hunc autem esse ordinem versuum statuit: 925—930. 932—934. 935—944. 953—958. 962—965. 959. 960. 966—978. Cujus auctoritate concitatus Brachmannus (p. 99 sqq.) multa alia investigavit et vere Plautinum canticum restituisse sibi visus est his versibus: 925—929. 932—934. 953—960. 968. 969ª. 935. 936. 943. 944. 941. 942. 973—975. 969ᵇ. 970—972. 978. Anspachius autem (p. 39 sqq.), cui neque Kiesslingii neque Brachmanni judicium satis facit, multo simplicius vv. 931. 945—972 una cum versu 987 ejecit.

Pedetemptim igitur viri docti ad acerbissimam hujus cantici damnationem progressi sunt. Omnes autem conspirare videntur in eo quod suspicantur Chrysalum facinora sua hoc cantico spectatoribus ita enarrare, ut pro rebus suis certas Troicae fabulae res et pro hujus fabulae personis certas Troicae fabulae personas substituat. Itaque si pro Mnesilocho Sino substituatur, non posse pro eodem Alexandrum substitui, non pro Chrysalo et Ulixem et Agamemnonem. Sed si hoc verum est, Kiesslingius et Brachmannus inconstanter contenderunt Nicobulum et Priami et Ilii partes agere posse, neque Anspachius, qui perquam caute omnes versus, in quibus Nicobulus cum Ilio comparatur, omisit, recte retinuit vv. 932 sqq., quum is qui Trojam expugnaturus est non possit exclamare *O Troja, o patria, o Pergamum.* Omittenda autem est perversa illa ratio et eodem modo hoc canticum interpretandum quo vv. 1120—1140. Nam ut ibi Bacchidum ludibrium maxime in eo positum est quod senes nobiles cum humillimis animalibus jure quodam comparantur, ita nostro loco vis comica in eo quod Chrysalus sua suorumque facinora vilissima cum maximis et antiquissimis facete et callide comparat: ut ibi senum vitia non una imagine describuntur, ita hic Chrysalus, ut res suas describat, pluribus ex universa fabula Troica sumptis imaginibus utitur. Neque farraginem sententiarum versibus 925—978 nobis praeberi sed canticum e more et ingenio Plauti compositum eoque dignissimum singulis explicandis breviter ostendere conabor.

Versibus 925—930 dicit Chrysalus spectatoribus se Atridas 925—930
factis suis superare (cfr. Most. 775 sqq.), quum erum suum, quem jam versu 711 cum oppido antiquo et vetere comparavit, nullis auxiliis expugnaturus sit. Ex quibus v. 930 *Sine classe sineque exercitu et tanto numero militum* Anspachius temere sic mutavit *Sine armis sineque exercitu et tanto numero navium* [1]). Nam simili verborum copia utitur Libanus, perfidiam laudibus extollens, Asin. 554 *Eae nunc legiones copiae exercitusque eorum Pugnando vi perjuriis nostris, euge, potiti.* Qui sequitur v. 931 *Cepi, expugnavi amanti erili filio aurum ab suo patre* non injuria a Kiesslingio deletus esse videtur. Nam hic versus discrepat mirum in modum cum reliquis et sententia, quum Chrysalus eo dicat, se aurum jam expugnasse a Nicobulo, in reliquis autem se id expugnaturum esse [2]), et numerorum condicione, quum vv. 925—934 omnes in dimetros jambicos dirimi posse Kiesslingius recte ostenderit. Eum igitur additum esse ab eo qui insequentia non
perspexit valde verisimile est. His autem (932—934) praedicit 932—934
Chrysalus, vatem Trojanum imitans, Nicobulo quadringentorum nummorum jacturam. Nam spectatores, qui Chrysalum in Bacchidum aedes ire viderunt, nondum certo sciunt, quam rem
ille agat. Itaque et illis et versibus 935—944 enarrat iis Chry- 935—944
salus se alteras tabellas, quibus fallacia auri auferendi causa in Nicobulum intendatur, afferre, easque eodem modo ut priores Mnesilochum, adjutum a Pistoclero, suo consilio conscripsisse. In quibus versibus nemo praeter Brachmannum offendit, isque argumentis valde ambiguis nisus (cfr. ejus pag. 104). Nam in eo quod Chrysalus non solum similitudinem, quae inter tabellas et equum ligneum intercedat, deprehendit, sed etiam ea quae paulo recedunt apte et facete componit, praecipuam artem cerni puto.

Eo majori offensioni fuerunt viris doctis qui sequuntur
vv. 945—952, quos Kiesslingius futiliter excogitatos esse putat 945—952
ab homine qui notissima nomina ex Troicarum fabellarum supellectili temere corraserit. Sed eos eodem modo versui 944 additos

---

[1]) Etiam Kiesslingius scripsit *navium* pro *militum*.

[2]) Nam verbis *Cepi spolia* (969) significat Chrysalus, se mendacio Nicobulum commovisse, ut aurum promitteret.

esse ac vv. 935 sqq. versui 934 facile intelligitur, quum Chrysalus et 934

Qui misere male mulcabere quadrigentis Philippis aureis.
Nam ego has tabellas obsignatas consignatas quas fero e. q. s.

et 944

Exitium, excidium, exlecebra fiet hic equos hodie auro senis.
Nostro seni huic stolido, ei profecto nomen facio ego Ilio e. q. s.

a praedicendo quod seni instat malo ad rem accuratius explanandam proficiscatur. Atque ut versibus 935 sq. tabellae fallaces imagine exornantur, ita versu 945 Nicobulus, contra quem eae conscriptae sunt: ut illa versibus 937—940 et 941. 942 plenius illustratur, ita haec versibus 946—952 et 953—961. Deinde vv. 945—952 festivitate omnino carere equidem mihi persuadere non possum. Nam versu 945 repetit Chrysalus aptissime sententiam, quam ille jam versibus 709 sqq. et 929 protulit [1]), quum Nicobulum Ilium, i. e. oppidum antiquum et vetus, appellet. Satis etiam perspicua est sententia v. 946, in quo miles Menelaus vocatur, quod ei Bacchis a Mnesilocho abducta est, Chrysalus Agamemno, quod facit obsidium Nicobulo. Recte autem hic militi et Chrysalo Atridarum partes assignantur, quippe quorum uterque per Mnesilochum Nicobuli adversarius factus sit. Neque tamen omnia mihi hoc loco sana esse videntur, ac fortasse etiam Kiesslingius ad acerbum illud judicium versuum ordine, quem libri exhibent, commotus est. Multo enim apertior est sententia v. 946, si ei praecedit v. 948, multo aptius etiam continuatur v. 949 versui 946. Itaque hunc versuum ordinem commendaverim, ex quo qui potuerit librarius aberrare facile intelligetur

945. *Nostro seni huic stolido, ei profecto nomen facio ego* ***Ilio.***
947. ***Mnesilochust*** *Alexander, qui erit exitio rei patriae suae:*
Is Helenam abduxit, quoia caussa nunc facio obsidium ***Ilio.***
946. ***Miles*** *Menelaust, ego Agamemno: idem sum Ulixes Lartius.*
949. *Nam illi itidem Ulixem audivi, ut ego sum, fuisse et audacem et malum* [2]).

---

[1]) Vide etiam Pseud. 586 sqq.

[2]) cfr. Most. 1078 *Nostrum ego hunc vicinum opinor esse hominem audacem et malum* et Men. 737, Mil. 307.

Versibus 953—961 explicat Chrysalus amplius cur Nicobulo versu 945 nomen fecerit Ilio. Ex quibus vv. 957 sq. 953—961

Nam dudum primo ut dixeram nostro seni mendacium
Et de hospite et de auro et de lembo, ibi signum ex arce jam abstuli

et v. 960

Post ubi tabellas ad senem tetuli, ibi ego occidi Troilum

viris doctis magnum exhibuerunt laborem, qui similitudinem requirebant quae inter signum ex arce ablatum et Chrysali primum mendacium, deinde inter Troili mortem et Nicobulum fallacibus tabellis iterum deceptum intercederet. Sed omnino nullam in his inveniri posse concedendum est. Nam qua cum re signi raptus apte comparari possit docemur Pseuduli versibus 1063 sq. *Viso quid rerum meus Ulixes egerit, Jamne habeat signum ex arce Ballionia.* In quibus manifesta intercedit similitudo inter Ulixem, signum, arcem et Pseudulum, meretricem, Ballionis domum Pseudulo obsaeptam. Neque aliter res se habebit, si cum Kiesslingio vv. 962—965 continuaverimus versibus 957. 958 et vv. 966 sqq. versui 960 ut hic sit versuum ordo

957. *Nam dudum primo ut dixeram nostro seni mendacium*
Et de hospite et de auro et de lembo, ibi signum ex arce jam abstuli.
962. *Ibi vix me exsolvi. atque id periclum adsimulo, Ulixem ut praedicant*
Cognitum ab Helena esse proditum Hecubae. set ut olim ille se
Blanditiis exemit et persuasit se ut amitteret,
Item ego dolis me illo extuli e periclo et decepi senem.
959. *Jam duo restabant fata tunc, nec magis id ceperam oppidum.*
Post ubi tabellas ad senem tetuli, ibi ego occidi Troilum.
966. *<Ibi> cum magnifico milite, urbis verbis qui inermus capit,*
Conflixi atque hominem reppuli e. q. s.

Nam si re vera Ulixes in raptu palladii agnitus esset ab Helena, quod Kiesslingius ponit, tamen haec res fortuita esset et aliena ab ipso Trojae fato, quod fatalis solum fuit palladii raptus: neque Chrysalus potest se signum ex arce abstulisse dicere, quod mendacii deprehensus sit, quamquam vv. 962—965 ad

primum illud periculum spectare minime mihi persuasum est. Deinde cur Chrysalus milite, quem Kiesslingius cum Troilo componit, victo secundum fatum peractum esse dicat intelligi vix potest, quoniam Nicobulo non detrimento fuit, quod miles repulsus est, sed quod ille, postquam epistolam a Chrysalo accepit, filium cum uxore militis esse censuit. Nam versum 961 *Quom censuit Mnesilochum cum uxore esse dudum militis*, quem Kiesslingius ejecit, cum antecedente *Post ubi tabellas ad senem tetuli, ibi ego occidi Troilum* conjungendum esse etiam Langenus (Beiträge zur Kritik u. Erklärung d. Plautus, p. 35) vidit[1]), quo versu quam rem dicat, Chrysalus accuratius explicat. Statuendum igitur est Chrysalum facinora sua cum fatis Troicis eam ob rem comparare quod, ut Troja nisi tribus condicionibus expugnari non poterat, ita etiam Chrysalus fortuna coactus erat, ut ter Nicobulum deciperet, priusquam omne aurum auferret. Verba igitur *ibi signum ex arce jam abstuli* et *ibi ego occidi Troilum* eodem sensu dicta sunt ac: ibi primum fatum peractum est — ibi alterum'. Atque hunc quem Chrysalus indagavit rerum consensum satis ridiculum esse latissime patet. Neque injuria describuntur a Chrysalo singula copiosius, quum is potissimum id agat ut sua facinora cum majoribus componat eoque extollat. Similiter dicit Tranio Most. 775 *Alexandrum magnum atque Agathoclem ajunt maxumas Duo res gessisse: quid mihi fiet tertio? Vehit hic clitellas, vehit hic autem alter senex:* quamquam nullam intercedere similitudinem inter Tranionis et Alexandri vel Agathoclis facinora satis apparet. Sine causa autem desiderat Brachmannus post v. 961 tertii fati commemorationem. Nam de equo ligneo per portam Phrygiam in urbem inferendo vel de epistola ad Nicobulum ferenda agitur quum in toto cantico tum maxime in versibus 935—944, quibus ipsis Chrysalus ad illa fata commemoranda commovetur. Aptissime autem revocat Chrysalus hanc rem spectatoribus in memoriam versibus 987 sq. *Nunc superum limen scinditur, nunc <prope> adest exitium Ilio. Turbat equos lepide ligneus*, ubi Nicobulus epistolam in manum recepit.

962—970 Jam in illis quae modo explicavi Chrysalus magis magisque eo pervenit ut solum praedicet quid magni fecerit. Optime igitur his continuati sunt vv. 962—970, quibus ille singulas res ne

[1]) Idem recte mihi adverbium *dudum* contra Kiesslingium defendisse videtur.

ordine quidem profert. Nam adverbio *dein* (967) Chrysalus nihil aliud dicere potest nisi se ad aliam rem enarrandam transire, pariter atque adverbio *tum* (941), quum mendacium de Bacchide, quod ille significat verbis *dein pugnam conserui seni: Eum ego adeo uno mendacio devici, uno ictu extempulo Cepi spolia*, seni dixerit, antequam militem repulit. Atque quum his omnibus Chrysalus singula tantum quae fecerit extollat, non offendemus in eo quod ille versibus 962—965 *Ibi vix me exsolvi. atque id periclum adsimulo, Ulixem ut praedicant Cognitum ab Helena esse* e. q. s. eandem rem tractat quam tetigit jam versu 952 *Vinctus sum, set dolis me exemi. item ille se servavit dolis.* Nam quae ibi, ut confirmaret se Ulixem esse, attulit, ea repetit is versibus 962—965 multo copiosius et accuratius, ut ostendat eadem etiam per se admiranda esse. Neque aliam ob rem profert ille verbis *dein pugnam conserui seni* e. q. s. (967 sq.) eandem rem qua versu 961, ut secundum Nicobuli fatum significaret, usus est.

Nullam difficultatem inesse puto in versibus 971—978, quibus 971—978
Chrysalus, ad sententiam versuum 932—934 revertens, se ipse extollit et Nicobulum iterum varie exornans deridet.

vv. 979—1075.

Etiam in hac scaena multa turbasse diasceuastam Brachmanno (p. 139) et Anspachio (p. 44) persuasum est. Ac primum vidit Brachmannus, quem Anspachius sequitur, manifestam retractationem in versibus 989—996 inesse, pro quibus haec leguntur in Vetere codice Camerarii

Ch. Quid me tibi adesse opus est? Ni. volo ut quod jubebo facias.
Ut scias quae hic scripta sient.
Ch. Nihil moror neque scire volo. Ni. tamen ades. Ch. quid opust? Ni. taceas.
Quod jubeo id facias. Ch. adero. Ni. euge litteras minutas. Ch. qui quidem videat parum,
Verum qui satis videat grandes satis sunt. Ni. animum advortito igitur.
Ch. Nolo inquam. Ni. at volo inquam. Ch. quid opust? Ni. at enim quod te jubeo facias.
Ch. Justumst tuus tibi servus tuo arbitratu serviat.

Ni. Hoc age sis nunc jam. Ch. ubi lubet recita. aurium operam tibi dico.
Ni. Cerae quidem haud parsit neque stilo. sed quicquid est pellegere certumst.

Hos versus Brachmannus sic disjungit, ut recensionis A sint vv. 1—5 omissis primi versus verbis *volo ut quod jubebo facias,* recensionis B vv. 1. 6—9. Sed quid de ejus sententia dicendum sit fortasse apparebit, si quos libri Palatini exhibent versus latius explicavero. Nam ne Ritschelii quidem emendationem probare possum. Ille enim effecit eo quod versum 6 continuavit versui 3, ut Chrysalus in eodem sententiarum connexu ter Nicobulum interroget verbis *quid opus est?* Qua re mihi scurrilis quaedam altercatio provocari videtur, in qua etiam inepte posita sunt verba *nolo inquam.* Nam his Chrysalum nisi ad Nicobuli verba *Ut scias quae hic scripta sint* respondere non posse facile intelligitur: sed quum alia intercedant, necesse est eum accuratius significare quid nolit: quod in simili loco, qui continetur versibus 1061—1066 prorsus perspicue factum est. Ibi enim dicit Chrysalus versu 1062 *nolo mihi credi,* v. 1064 *nolo inquam aurum concredi mihi.* Praeterea verba *sed quicquid est, pellegere certumst* recte ante verba *animum advortito igitur* posita esse non credo, quum Nicobulus illis certum epistolae legendae consilium cepisse videatur, postea autem iterum haesitet. Harum difficultatum nihil invenitur in iis quae libri exhibent, in quibus, omissis primi versus verbis *volo ut quod jubebo facias,* mihi quidem omnia recte procedere videntur. Nicobulus enim fingit causam, cur Chrysalum adesse velit, is autem, veram eri sententiam perspiciens, infringit illam causam verbis *nihil moror neque scire volo.* Itaque Nicobulus, hanc omittens verbis *tamen ades* — nam ad haec mente addendum est: 'si non vis scire' — servum solo imperio cogit, ut concedat se adesse velle. His contentus inspicit Nicobulus tabellas et miratur minutas quibus conscriptae sunt litteras[1]). Sed quum Chrysalus huic rei se immisceat verbis *qui quidem videat parum*[2]) e. q. s., admonet Nicobulus eum, ad illam causam (v. 2)

[1]) De magnitudine litterarum dicitur Poen. IV, 2, 15, Rud. 1294.

[2]) Similiter jocatur Tranio Most. 832 sqq., erum interrogans, num pictum videat, ut ludificetur una cornix volturios duos. In quibus praesertim respicienda sunt verba *aetate non quis optuerier* eadem ambiguitate dicta.

rediens, ut animum advertat num satis oculis videat et epistolam legere possit. Chrysalus autem, qui ero tantum concessit se adesse velle, negat iterum se scire velle quae in epistola scripta sint. Post quae irati Nicobuli imperio coactus idem versu 7 *(Justumst* e. q. s.) acerbissimo ludibrio concedit Nicobulum sibi imperare posse, non solum ut adsit sed etiam ut scire velit quae in epistola scripta sint. Quae sequuntur per se patent. Verba autem *volo ut quod jubebo facias* in versu primo ea de causa delenda esse puto quod iis positis sequentia *ut scias quae hic scripta sint* supervacanea sunt. Ac facile intelligetur unde librarii error natus sit ex hac quam subjiciam versuum descriptione:

Ch. Quid me tibi adesse ópus est <quaeso>? Ni. út scias quae scripta sint hic.
Ch. Níl moror neque scire volo <ego>. Ni. támen ades. Ch. quid ópus est? Ni. taceas:
Quód jube<b>o id fácias. Ch. adero —
Ni. Éuge litterás minutas. Ch. qui quidem videát parum:
Vérum qui satis videat, grandes sátis sunt. Ni. animum advórtito igitur.
Ch. Nólo inquam. Ni. at volo inquam. Ch. quid opust? Ni. út enim quod te júbeo facias.
Ch. Jústumst tuus tibi sérvus <ut> tuo árbitratu sérviat.
Ni. Hoc áge sis nunc jam. Ch. úbi lubet, recita, aúrium operam tíbi dico —
Ni. Cérae haud parsit néque stilo, sed quicquid est pellégere certumst.

Sed priusquam hunc locum omittam, mihi dicendum est de Langeni (Beiträge p. 201) et qui eum sequitur Anspachii sententia, qui mirum in modum contendunt verbis *litteras minutas* (v. 4) brevem epistolam[1]) significari. Quod si ita esset, non posset Chrysalus dicere *qui quidem videat parum* e. q. s., quibus eum ambigue et de oculorum et de animi acie loqui apertum est. Nam ponendum esset his verbis Chrysalum de epistola cogitare brevissima, quam non videret nisi qui satis videret oculis,

[1]) Langenus: *Chrysalus hat sich gesträubt der Vorlesung des Briefes durch Nicobulus beizuwohnen, wesshalb ihn dieser auf die Kürze desselben aufmerksam macht.*

quod absurdum est. Praeterea pugnat cum illa interpretatione planissime ipsa epistola postea recitata, quum praeter unam (Pseud. 41 sqq.) omnes quae apud Plautum inveniuntur epistolae breviores sint, ex his autem brevissima fere prior illa, quam Chrysalus ad Nicobulum attulit. Itaque dubitari non potest quin nostro loco singulae litterae dictae sint, quibus conscriptae sunt tabellae, et Plautus his similiter jocatus sit ac Pseud. 23 sqq., ubi permulta proferuntur quae cum nostro loco optime comparantur.

Alia ejusdem retractationis documenta invenit Brachmannus (p. 143 sq.) in iis quae insequuntur (997—1035). Ei enim videtur similitudo intercedere inter vv. 1007—1009 et vv. 1013—1016, deinde Chrysalus inepte Nicobulum iterum atque iterum admonere ut filio nihil det, postremo versibus 1025 sq. non significatum esse Mnesilochum jam in initio epistolae aurum a patre petiisse. Itaque has duas recensiones contineri versibus 997—1027 sibi persuasit: A. 997. 1000. 998. 1001. 999. 1002—1006. 1013—1024, B. 1007—1012. 1025—1027. Sed Brachmannus, quod similitudinem intercedere putat inter vv. 1007—1009

Pudet prodire me ad te in conspectum, pater:
Tantum flagitium te scire audivi meum,
Quod cum peregrini cubui uxore militis

et vv. 1013—1016

Stulte fecisse fateor. set quaeso, pater,
Ne me, in stultitia si deliqui, deseras.
Ego animo cupido atque oculis indomitis fui:
Persuasumst facere, quojus me nunc facti pudet,

ostendit se sententiam horum versuum omnino non perspexisse. Nam versibus 1007—1009 excusat se Mnesilochus, cur non ipse ad patrem veniat, versibus 1013—1016 fatetur idem se stulte fecisse. Lineamenta hujus loci ducta sunt Most. 1154 sqq. Deinde Chrysalum ficta illa severitate id agere ut Nicobuli suspicionem a se amoveat apertissimum est. Neque jure offendit Brachmannus in versibus 1025 sq.

Nunc si me fas est obsecrare, abs te, pater,
Da mihi ducentos nummos Philippos, te obsecro.

Nam rectissime orat Mnesilochus patrem, ut aurum sibi det, ubi ejus veniam impetrasse sibi videtur[1]). Offendere debebat Brachmannus in versibus 997. 998.

Pater, ducentos Philippos quaeso Chrysalo
Da, si esse salvom vis me aut vitalem tibi,

qui, prorsus sejuncti a reliquis epistolae verbis, nullo sententiarum damno omitti potuerunt. Sed a poeta ii positi sunt, ut Nicobulus illuderetur. Is enim jam versu 924 ostenderat se Chrysalo nondum satis credere: quae suspicio valde augebatur Chrysali quum alteram epistolam ad Nicobulum afferret ficto metu. Itaque jam gaudens, quod Chrysalum mendacii deprehendere possit, prorsus contrarium exspectationis suae invenit Nicobulus, ubi primos epistolae versus inspexit. Hoc autem poetae consilium a totius epistolae ratione non abhorret, quum ex ipsis abruptis verbis, initio epistolae positis, Nicobulus conjicere possit filium in magno periculo esse.

Anspachius, qui hoc loco cum Brachmanno non consentit, tamen facere non potuit quin duas recensiones indagaret, ex quibus alteram eam in qua brevis illa epistola — quam non legit nisi qui satis videt — inveniretur. Is enim vv. 1002—1005

Chr. Non dabis, si sapies: verum si das maxume,
Ne ille alium gerulum quaerat, si sapiet, sibi:
Nam ego non laturus sum, si jubeas maxume.
Sat sic suspectus sum, quom careo noxia

retractari putat in versibus 1027 *Chr. Ne unum quidem hercle si sapis*, 1061 *Chr. Non equidem accipiam: proin tu quaeras qui ferat*, 1063 *Chr. Non equidem capiam — dico ut res se habet*, eosdemque magna cum negligentia compositos esse propter verba *si sapies — si sapiet, si das maxume — si jubeas maxume:* Plauti igitur esse vv. 997—1000. 1001. 1007—1035 sqq., posterioris aetatis: vv. 997—999. 1002—1006. 1028—1035 sqq. Sed vv. 1002—1005 a Chrysalo, cujus e re est ut Mnesilocho adversetur, eodem consilio proferri ac v. 1000, quo ille Nicobulo dicit filium impudentem esse, quod salutem non scripserit (cfr.

---

[1]) cfr. Aul. IV, 7, 1 *Dixi tibi mater: juxta rem mecum tenes Super Euclionis filia: nunc te opsecro.*

Pseud. 1002 et 1013 sq.) apertum est. Tales autem sententias non bis terve a Plauto afferri Anspachii opinio est. Saepissime enim eaedem sententiae apud Plautum repetuntur, si hac re aliquid efficiatur. Sic dicit irata matrona, ut virum, qui prae metu ne surgere quidem audet, derideat verberibusque majorem vim addat, Asin. 921—925 quater *surge, amator, i domum.* Trachalio, Gripum deridens, interrogat Rud. 1052 ter erum, num Gripus ejus servus sit, qua re oratio talis fit *Tr. tuun hic servos est? . . . Tr. Tuun hic servost? Dae. meus est. Tr. hem, istuc optume, quando tuust. . . . Tr. Nempe hic tuus est? Dae. meus est. Tr. istuc optume, quando tuust.* Quam anxius Euclio sit, intelligimus demum ex eo quod is Staphylae dicit Aul. I, 2, 11 *Abi intro, occlude januam: jam ego hic ero,* I, 2, 25 *Tace atque abi intro . . . occlude sis Fores ambobus pessulis: jam ego hic ero,* II, 3, 6 *Tace atque abi: curata fac sint, quom a foro redeam domum, Atque aedes occlude: jam ego hic adero.* Cum quibus comparanda sunt quae idem dicit Aul. IV, 2, 1—8. Neque equidem video illos versus negligentius compositos, quum verba concitati hominis iis vocabulis abundare soleant in quibus vis quaedam posita est. Qua de re ego jam Brachmanni sententiam, qui in *hercle* voce repetita (363) offendit, supra refutavi [1]).

Suspicatus est porro Brachmannus (p. 145) retractationem in versibus 1035—1050, quum et vv. 1045. 1046 Nicobulo tribuendos esse persuasissimum habeat et versibus 1041—1043 repeti sententia versuum 1036—1040 ei videatur. Has igitur recensiones constituit: A. 1035. 1036—1040. 1047—1049. 1050, B. 1035. 1041—1046. 1050. Sed Brachmannus iterum non perspexit Chrysali calliditatem, quae a poeta tam perspicuis verbis descripta est ut munus interpretis hoc loco fere molestum sit. Respiciendum enim est maxime consilium Chrysali, qui et erum ad aurum dandum commovere et ejus suspicionem a se amovere conatur. Itaque, quum interrogetur a Nicobulo, quid censeat de filii prece, respondet is

Nihil ego tibi hodie consili quicquam dabo,
Neque ego haut committam ut, si quid peccatum siet,
Fecisse dicas de mea sententia.
Verum, ut ego opinor, ego si in istoc sim loco,

[1]) cfr. etiam Per. 412 *accipe sis argentum, inpudens. Tene sis argentum.*

1040. *Dem potius aurum, quam illum corrumpi sinam.*
Duae condiciones sunt: utram accipias, vide:
Vel ut aurum perdas vel ut amator pejeret.
Ego neque te jubeo neque veto neque suadeo.

Primum igitur dicit Chrysalus se nullum consilium daturum esse, addit autem, ut Nicobulum ad suam sententiam perducat et a contraria deterreat, utrum eorum quae fieri possint ipse faciat, si in Nicobuli loco sit: nam duas tantum condiciones esse. Deinde postquam ex Nicobuli verbis *Miseret me illius* intellexit, eum ad suam sententiam proclivum esse, assentitur ei jam apertius et deterret eum etiam magis alia causa prolata (1044—1046). Post quae Nicobulus, quamquam gemens (1047 sq.), consilium auri efferendi capit. Quae quum prorsus apte inter se connexa sint ne Ussingii quidem sententia mihi satis liquet, qui vv. 1045 sq. post 1048 ponit. De forma autem orationis, quae inest in versibus 1039—1042 in altera parte latius agam. Simillimi eorum inveniuntur Cas. II, 4, 11 sqq.

Neque vv. 1061—1066 Brachmannus, cui Anspachius assentitur, perspexit, quos ita disjungit ut recensionis A sint vv. 1063—1065, recensionis B: 1061. 1062. Nam vis comica hujus loci posita est in eo quod Nicobulus Chrysalo aurum non solum dat sed eum etiam orat ut auferat, his igitur perficitur quod Chrysalus jam versibus 824 sq. praedixit. Quod quum poeta nulla alia ratione efficere posset, nisi ita ut Chrysalum quam pertinacissimum fingeret, necesse erat easdem sententias saepius repeti [1]). Ceterum sejungi nullo modo potest ab antecedentibus v. 1061

Chr. Non equidem accipiam: proin tu quaeras qui ferat,

utpote qui respondeat planissime versui 1059

Nic. Cape hoc tibi aurum, Chrysale: i fer filio.

Non intellexi cur Brachmannus (p. 148) ex versibus 1067—1075 aut vv. 1068. 1069 aut 1070. 1071 ejiciendos esse putet, neque cur Anspachius (p. 49) vv. 1068. 1069. 1075 tollat.

[1]) Vide praeter ea quae ad vv. 1002 sqq. allata sunt Most. 364 sqq. et 1168 sqq.

Qua de re videat qui volet praesertim Anspachii librum. Versus enim apud Ritschelium sic leguntur:

Curatumst esse te senem miserrumum.
Hoc est incepta efficere pulcre: vel mihi
Evenit, ut ovans praeda onustus cederem.
Salute nostra atque urbe capta per dolum
Domum reduco jam integrum omnem exercitum.
Set, spectatores, vos nunc ne miremini
Quod non triumpho: pervolgatumst, nil moror.
Verum tamen accipientur mulso milites.
Nunc hanc praedam omnem jam ad quaestorem deferam.

Qui versus mihi quidem ita comparati esse videntur ut Chrysalus factum, quod significavit versu 1067, versibus 1068 sq. gradatim extollat, causam afferens versibus 1070 sq.[1]), versibus autem 1072 sq., se ipse paululum deridens, dicat se non solum ovare sed etiam triumphare posse, si vellet.

vv. 1185—1201.

Ex his exhibent libri vv. 1188—1191. 1201 sic fere:

1. (1188) *Ph. Etiam tu homo nihili, quod di dant boni, cave culpa tua amissis.*
2. (1189) *Dimidium auri datur: accipias potesque et scortum accumbas.*
3. (1190) *Ni. Egon ubi filius corrumpatur meus, ibi potem? Ph. potandumst.*
4. (1201) *Ni. Age jam id, utut est, etsi est dedecorum, patiar, facere inducam animum:*
5. (1191) *Egon, quom haec cum illo accumbet, inspectem? Ba. immo equidem pol tecum accumbam.*

Ex quibus Ritschelius versum 4 posuit post 1200. Sed nescio an injuria. Nam post v. 3, cui continuavit Ritschelius v. 5, aliquid mente addendum esse facile intelligitur, quum Nicobulus versu 5 alteram causam afferat, cur obsequi non possit Philoxeno, eoque concedat illam priorem causam (v. 3) nullius

---

[1]) cfr. Pers. 754 *Bello exstincto, re bene gesta, integro exercitu et praesidiis* e. q. s.

aut non magni momenti fuisse. Quod aptissime ipsis verbis poterat significari. Sin ponamus hoc re vera versu 4 factum esse, Nicobulus versu 5 non repetit se nolle filium cum Bacchide accumbentem videre, sed dicit se ipsum non posse scortum accumbere, quod filius Bacchidem habeat. Quod optime consentit cum antecedentibus. Nam hac ratione respondet Nicobulus, cui Philoxenus versu 2 proponit ut potet et ut scortum accumbat, ad alteram condicionem versu 3: se potare non posse, ad alteram versu 5: se accumbere non posse. Neque haec sententia, qua Nicobulus multo impudentius quam Philoxenus verbis *at scin quo pacto me ad te intro abducas?* (1178) ad eandem rem affectat viam, aliena est a Nicobuli animo, qui jam 1173 ad Bacchidis verba *Non metuo ne quid mihi doleat, quod ferias* respondit *ut blandiloquast. Hei mihi metuo.*[1]) Itaque versum 4 hoc loco retinendum et cum Ritschelio sic fere describendum esse puto:

Age[2]) *id, útut est etsíst dédecori, patiár, facere inducam ánimum.*[3])

Brachmannus, qui vv. 2—4 retractatori tribuit, offendit etiam in similitudine quae intercedat inter versum 1188 *Etiam tu homo nihili, quod di dant boni, cave culpa tua amissis* et vv. 1192—1194 a Ritschelio sic restitutos:

. . . . . . non jam tibi venit in mentem,
Si, dum vivas, tibi bene facias, pol id esse haut perlonginquom,
Neque, si hoc hodie amissis, id post mortem eventurum esse umquam?

Sed. vv. 1192—1194, quibus plenius explicatur quae sit Nicobuli culpa, si amittat occasionem, tam accommodati sunt ad consilium eorum qui Nicobulo persuadent ut introeat, ut qui

---

[1]) cfr. Per. 536 *Tox: Nil pericli mihi videtur. Dor: scio istuc: sed metuo mihi.*

[2]) cfr. Ter. Andr. 598 *Da: Quiescas Si: age igitur: ubi nunc est ipsus?*

[3]) cfr. Aul. I, 2, 10 *Pauper sum, fateor, patior: quod di dant fero.*

Brachmannus offendere potuerit vix intelligatur. Simili temeritate tollit Anspachius verba *mel meum, amabo, istaec fiunt* versus 1196 et versum 1197 *Tuust: unde illum sumere censes, nisi quod tute illi dederis?* quod ei sensus hiare videtur inter illa verba et antecedentia *Ne obnoxius filio sim et servo*, deinde quod neque v. 1197 neque verba *istaec fiunt* intelligantur. Sed verbis *Ne obnoxius filio sim et servo* dicit Nicobulus se nolle facere quae filius et servus velint, i. e. se nolle filium, a Chrysalo adjutum, aurum impune abstulisse (cfr. 1187 *malo illos ulcisci ambo* et 1198 *satin offirmatum Quod mihi erat . . .?*). Ad quae Bacchis respondet filium nullam poenam commeruisse, quod pecuniam a patre sumpserit, nam necesse esse ut filius, si sumptum faciat, patrem adeat[1]): nihil igitur impedire quin Nicobulus filio et servo ignoscat. Quae sententia inest in verbis *mel meum, amabo, istaec fiant*[2]) et *Hanc veniam illis sine te exorem*[3]) (1198).

II.

Homines non satis eruditos verba sua saepissime repetere non negabit qui umquam eorum sermonem audiverit. Haec res eo potissimum effici mihi videtur quod ineruditi, non satis amplectentes animo quae verbis expressuri sunt, singulas tantum et abruptas sententias proferunt et, si orationis perspicuitati operam dant, ad eam sententiam unde profecti sunt redire coguntur: quo orationis circuitu singulae sententiae arte inter se connectuntur, idemque efficitur quod eruditi in oratione minus verbosa positis particulis et pronominibus relativis assequuntur. Saepe praeterea ineruditi ad repetendas sententias etiam eo commoveri mihi videntur quod ii, non celeriter aliorum mentem comprehendentes, ipsi copiosae orationis quam maxime studiosi sunt. Hanc verborum copiam non solum apud ineruditos sed

---

[1]) Trin. 329 *De meo: nam quod tuomst, meumst, omne meum autem tuomst.*

[2]) Sic puto cum Ussingio scribendum esse.

[3]) cfr. Amph. 924 *opsecro Te, da mi hanc veniam, ignosce, irata ne sies* et Most. 1177.

apud omnes qui negligentius loquuntur inveniri satis notum est. Quodammodo autem coguntur ad hanc negligentiam omnes quorum animi aliqua re acrius permoventur. Qui quum nitantur ut in verbis suis quam maximam vim ponant, propter animi autem statum consulte loqui non possint, ad simpliciorem orationis formam redeunt verborumque repetitione aptissime utuntur. Atque simili de causa qui rerum imagines animo acrius repraesentare eamque ob rem concitatius loqui solent, quod idem vulgi maxime proprium est, a repetendis sententiis non abhorrent.

Hunc loquendi morem, cui familiaris hominum sermo multimodis obnoxius est, a poetis et scriptoribus omnino negligi non potuisse facile intelligitur. Qua in re quamquam cujusque animo maximum tribuendum erit, tamen poetae scaenici, qui in diverbiis scribendis facere non possunt quin aliquatenus se ad sermonem familiarem accommodent, imprimis mihi illi mori indulsisse videntur. Itaque apud Sophoclem multa illius verbositatis vestigia inveniuntur, plurima autem apud Plautum, qui et fabularum quas scripsit argumentis et ingenii sui alacritate ad vim et perspicuitatem illam sermonis familiaris omnium facillime ducebatur. Attamen quibus finibus sermonis Plautini verbositas contineatur, viri docti mirum in modum inter se discrepant, eaque fere omnis negata est nuperrime a Brachmanno et Anspachio. Itaque quum mihi nonnulli Bacchidum loci, qui huc faciunt, defendendi sint, paulo accuratius de ea re disseram, quamquam vereor ne cui in notioribus longior esse videar.

Ac primum de repetitione earum sententiarum quibus aliquid ponitur dicam. Quas sententias tribus praesertim condicionibus repeti solere puto. Notissimum autem est illud genus loquendi quo aliquid primum generaliter deinde specialiter dicitur, quale invenimus Capt. 142—145

Tum denique homines nostra intellegimus bona,
Quom quae in potestate habuimus ea amisimus.
Ego, postquam gnatus tuus potitust hostium,
Expertus quanti fuerit nunc desidero.

Eodem consilio saepius una res pluribus imaginibus describitur, ut Curc. 33

. . . . . . nemo hinc prohibet nec votat
Quin quod palamst venale, si argentumst emas.
Nemo ire quemquam publica prohibet via,
Dum ne per fundum saeptum facias semitam.

Similia inveniuntur Capt 78—87, Most. 427—430. Huc autem referenda est etiam ea loquendi consuetudo ex qua id quod non satis aperte dictum esse videtur accuratius repetitur. Sic legitur Trin. 849 sq.[1])

a. *quem ego qui sit homo nescio,*
a^1. *Neque novi neque natus necne fuerit, id solide scio.*

et Curc. 20—22

a. *Bellissumum hercle vidi et taciturnissumum* (sc. ostium):
a^1. *Numquam ullum verbum muttit:*
a^2. *quom aperitur, tacet, Quomque illa noctu clanculum ad me exit, tacet.*

Cujus generis quamquam permulta in omnibus Plauti fabulis exstant, tamen Ritschelius, praesertim in altera Trinummi editione, et alii alibi nonnullos versus, quibus sententiae isto modo repetitae continentur, subditicios esse indicaverunt[2]). Sed etiamsi concedendum est tales versus facillime potuisse ab interpolatoribus genuinis admisceri, tamen valde cavendum est ne versus ea de causa quod desiderari possunt, Plauto abjudicemus et temere deleamus quod ipsius poetae proprium est.

Altera non minus nota sententiarum repetitio efficitur orationis quae dicitur gradatione, atque exempli causa affero Cas. I, 3—6.

a. *Quia certum est mihi Quasi umbra, quoquo ibis tu, te persequi.*
a^1. *Quin edepol etiam, si in crucem vis pergere, Sequi decretum est.*

Quae loquendi ratio satis perspicua est neque facile cuiquam offensioni esse potest. Tamen mihi Ritschelius non recte videtur judicasse de Men. 719—721

[1]) Singulas sententias distinguo ascriptis litteris a a^1 a^2.
[2]) Vide quae de hac re in priore parte ad Bacch. 66 sq. dicta sunt.

a. *Non ego istaec <tua> flagitia possum perpeti.*
a^1. *Nam <meam> med aetatem esse viduam mavelim, Quam istaec flagitia tua pati, quae tu facis.*

Ex quibus ille v. 721 in suspicionem vocavit. Sed vix dubitandum est quin hic versus retinendus sit, quum simillima orationis forma et copia inveniatur Asin. 810 sq.

a. *egone haec <ut> patiar aut taceam?*
a^1. *emori Me malim, quam haec non ejus uxori indicem.*

Partim ad hoc, partim ad tertium quod statuo repetitionis genus referendi sunt Captivorum vv. 139 sq.

a. *Egone illum non fleam?*
a^1. *ego non defleam Talem adulescentem?*

Ex his sententia a^1 multo gravius profertur quam sent. a, praesertim ideo quod Ergasilus verbis *talem adulescentem* causam affert cur adulescentem deflere debeat. Atque haec sententia causalis saepissime per se ponitur, ut oratio tripartita efficiatur, qualem videmus Amph. 1041—1044[1])

a. *Numquam edepol me inultus istic ludificabit, quisquis est.*
b. *Jam me ad regem recta ducam resque ut factast eloquar.*
a^1. *Ego pol illum ulciscar hodie Thessalum veneficum Qui pervorse perturbavit familiae mentem meae.*

vel. Merc. 476 sq.

a. *scio:*
b. *Omnia ego istaec auscultavi ab ostio:*
a^1. *omnem rem scio.*

Hic sententiarum circuitus a vulgo valde frequentatus, orationem magna vi et venustate exornat, quum singulae sententiae, quamquam solute positae, tamen eo quod sententia causalis ad utramque earum quibus inclusa est sententiarum referenda est arte inter se conjungantur. Itaque eo etiam alii poetae, quibus talis oratio placebat, consulto usi sunt, ut Catullus, apud quem permulta hujus modi inveniuntur, ex quibus affero carmen 52

[1]) Littera b signo sententiam causalem.

a. *Quid est, Catulle? quid moraris emori?*

b. { *Sella in curuli Struma Nonius sedet, Per consulatum pejerat Vatinius:*

a¹. *Quid est, Catulle? quid moraris emori?*

Etiam Goethius noster in praeclarissimo illo libello, cui inscriptum est *Die Leiden des jungen Werthers*, illa loquendi ratione usus est. In cujus libelli epistola aliqua legimus haec *Was man ein Kind ist. Was man nach so einem Blicke geizt. Was man ein Kind ist:* deinde postquam sententia media *Was man nach so einem Blicke geizt* accuratius explicata est, in extrema epistola haec: *Gute Nacht. O, was ich ein Kind bin.*

In tertio autem hoc repetitionis genere sententias repetitas modo simpliciter poni, modo gravius aut accuratius proferri jam ex iis quae supra exempli causa allata sunt intelligi potuit. Atque idem confirmabitur iis locis quos, ut appareat quantum valeat apud Plautum illud genus loquendi, hic subjiciam.

Asin. 461

a. *Da inquam:*

b. { *Vah, formido miser ne hic me tibi arbitretur Suasisse sibi ne crederes.*

a¹. *da, quaeso, ne formida.*

Pseud. 243

a. *Hodie nate, heus, hodie nate:*

b. *tibi ego dico:*

a¹. *heus hodie nate.*

Mil. 1368

a. *cave istuc feceris.*

b. { *Dicant te mendacem nec verum esse, fide nulla esse te: Dicant servorum praeter med esse fidelem neminem. Nam si honeste censeam te facere posse, suadeam. Verum non potest.*

a¹. *cave faxis.*

Aul. V, 1

a. *Di inmortales, quibus et quantis me donatis gaudiis.*

b. *Quadrilibrem aulam auro onustam habeo.*

a¹. { *quis me est divitior? Quis me Athenis nunc magis quisquamst homo, quoi di sint propitii?*

Mil. 307

a. *Quid pejust muliere aut audacius?*

b. { *Dum ego in tegulis sum, illa ex suo se hospitio eduxit foras.*

a¹. *Edepol facinus fecit audax.*

Rud. 459

a. *ut hanc traxi lubens.*

b. *Nimio minus altus puteus visust quam prius.*

a¹. *Ut sine labore hanc extraxi.*

Pseud. 984

a. *Perii, nunc homo in medio lutost.*

b. *Nomen nescit.*

a¹. *haeret haec res.*

Pseud. 1220

a. *perdidisti, postquam dixisti pedes:*

b. *Pseudulus fuit ipsus.*

a¹. *actumst de me, jam morior, Simo.*

Rud. 1037

a. *Euge, salva res est: praeda haec perpetuast mea.*

b. { *Ad meum erum arbitrum vocat me hic intra praesepis meas. Numquam hercle hodie abjudicabit ab suo triobulum.*

a¹. *Ne iste hauscit quam condicionem tetulit: ibo ad arbitrum.*

Rud. 435—437

a. *At ego basilicus sum; quem nisi oras, guttam non feres.*

b. *Nostro illum puteum periclo et ferramentis fodimus.*

a¹. *Nisi multis blanditiis a me gutta non ferri potest*¹).

Asin. 901

a. *edepol ne tu istuc cum malo magno tuo Dixisti in me.*

b. *sine modo venias domum:*

a¹. *faxo scias Quid pericli sit dotatae uxori vitium dicere.*

Mil. 250—253

a. *Facilest trecentae possunt caussae conligi:*

b. *Non domist . . .* (251 sq.)

a¹. *Quantumvis prolationumst.*

¹) v. 437 a Fleckeiseno uncis inclusus est.

Rud. 1315 sq.

a. *Magna hercle praedast: largiter mercedis indipiscar.*
b. *Dii homines respiciunt:*
a^1. *bene ergo hinc praedatus ibo*[1]).

In his quae attuli quum sententiae causales omnes per se positae sint, necessitate quadam eae sententiae ad quas referuntur repetitae sunt. Vera autem loquendi abundantia etiam eae sententiae quibuscum sententiae causales artius conjunctae sunt repeti solent, ut ex hac re, quantum Plautus verborum copiae indulserit, optime intelligatur. Loci quos collegi sunt hi:

Stich. 266

a. *Demiror quid illaec me ad se arcessi jusserit,*
b. *Quae numquam jussit me ad se arcessi ante hunc diem, Postquam vir abiit ejus.*
a^1. *miror quid siet.*

Amph. 974

a. *Jam hisce ambo, et servus et era, frustra sunt duo,*
b. *Qui me Amphitruonem rentur esse:*
a^1. *errant probe.*

Amph. 654

a. *Edepol me uxori exoptatum credo adventurum domum, Quae me amat, quam contra amo:*
b. *praesertim re gesta bene, victis hostibus, quos nemo posse superari ratust: Eos auspicio meo atque ductu primo coetu vicimus.*
a^1. *Certe enim me illi expectatum optato venturum scio.*

Pseud. 868

a. *Quia sorbitione faciam ego hodie te mea Item*
b. *ut Medea Peliam concoxit senem, Quem medicamento et suis venenis dicitur Fecisse rursus ex sene adulescentulum,*
a^1. *Item ego te faciam.*

Trin. 692

a. *Haec famigeratio] Te honestet, me conlutulentet,*
b. *si sine dote duxeris.*
a^1. *Tibi sit emolumentum honoris: mihi quod objectent siet.*

[1]) v. 1316 spurium habet Fleckeisenus.

Pseud. 642

a. *Reddere hoc, non perdere, erus me misit:*
b. *nam certo scio Nunc febrim tibi esse, quia non licet huc inicere ungulas.*
a^1. *Ego, nisi ipsi Ballioni, argentum credam nemini.*

Trin. 954

a. *An ille tam esset stultus, qui mi mille nummum crederet Philippum, quod me aurum deferre jussit ad gnatum suum Atque ad amicum Calliclem, quoi rem aibat mandasse hic suam,*
a^1. *Mihi<n> concrederet,*
b. *ni me ille et ego illum novissem adprobe?*

Pseud. 114

a. *Roga me viginti minas,*
b. *Ut me effecturum tibi, quod promisi, scias.*
a^1. *Roga, opsecro hercle: gestio promittere.*

Apud Sophoclem inveniuntur hujus generis: Oed. Tyr. 164—166, 337. 338, Aj. 626—631, 1111—1114, Elec. 573—576, 831—835, Antig. 423—427, 465—468, Trach. 431—433.

Haec sufficient ad tuendos eos Bacchidum locos qui de eadem quam modo explicavi loquendi ratione addubitati sunt. Ac primum dicam de versibus 239—242 **Bacch. 239—242**

Extexam ego illum pulcre jam, si di volunt.
Hau dormitandumst: opus est chryso Chrysalo.
Adibo hunc, quem quidem ego hodie faciam hic arietem
Phrixi: ita detondebo auro usque ad vivam cutem,

ex quibus vv. 239. 240 a Brachmanno retractatori tributi, ab Anspachio transpositi sunt. Sed usque ad verba *Adibo hunc* omnia recte procedunt[1]). Tum versibus 241 sq., quorum sensus est: 'adibo eum, quem proinde auro detondebo quasi sit aries Phrixi', sententiam versus 239 copiosius repeti, versu autem 240 causam afferri cur Chrysalas Nicobulo aurum auferre velit eumque et ad 239 et ad 241 sq. referendum esse facile intelligitur. Itaque versuum sententiae sic describendae sunt

[1]) cfr. Most. 1071 sq. et quae in priore parte de his Bacchidum versibus dicta sunt.

a. *Extexam ego illum pulcre jam, si di volunt.*
b. *Hau dormitandumst: opus est chryso Chrysalo.*
a[1]. *Adibo hunc, quem quidem ego hodie faciam hic arietem Phrixi: ita detondebo auro usque ad vivam cutem.*

1087—1103 Pluribus versibus continetur sententia causalis 1087—1103, ubi Nicobulus stultitiam suam lamentatur. Qui postquam versu 1090 exclamavit

Perii, pudet: hocine me aetatis ludos bis factum esse indigne?

sibi ipse enarrat versibus 1091—1098, quibus modis ludificatus sit. His autem commotus iterum indignationem suam et iram sic exprimit

1099. *Hoc, hoc est, quo <pectus> peracescit, hoc est demum quod percrucior:*
Me hoc aetatis ludificari: immo edepol sic ludos factum:
Cano capite atque alba barba miserum me auro esse emunctum.

Ex quibus Ritschelius versum 1100 ut ad v. 1090 similitudinem confictum sejunxit. Sed quod hoc versu totius loci sententia gravissima plenius repetitur eademque versu insequente accuratius explicatur, equidem illum versum retinendum esse puto.

1039—1042 Ad eam loquendi consuetudinem ex qua aliquid et generaliter et specialiter dicitur referendi sunt ex parte vv. 1039—1042, quibus Nicobulus ut filio aurum det a callido Chrysalo impellitur. Is enim dicit primum in universum de se ipse, deinde quid Nicobulo faciendum sit, sed ita ut verbis *Duae condiciones sunt* causam gravissimam cur ita loquatur breviter inter utramque sententiam ponat. His igitur finibus continentur singulae sententiae [1])

a. *Verum ut ego opinor, ego si in istoc sim loco, Dem potius aurum, quam illum corrumpi sinam.*
b. *Duae condiciones sunt:*
a[1]. *utram accipias, vide: Vel ut aurum perdas vel ut amator pejeret.*

[1]) Cum his comparanda sunt quae in priore parte de iisdem versibus dicta sunt.

Haec loquendi ratio, admodum singularis, ut puto, saepius apud Plautum invenitur, ut Cas. II, 4, 11

a. *Sed utrum nunc tu coelibem te mavis esse liberum, An maritum servom aetatem degere et gnatos tuos?*
b. *Optio haec tua est.*
a[1]. *utram harum vis condicionum accipe.*

et Trin. 227—233

a. *Sed hoc non liquet nec satis cogitatumst, Utram potius harum mihi artem expetessam, Utram aetati agundae arbitrer firmiorem:*
b. *Amorin me an rei opsequi potius par sit:*
a[1]. *Utra in parte plus sit voluptatis vitae Ad aetatem agundam De hac re mihi satis hau liquet, nisi hoc sic faciam opinor* e. q. s.

Ex his Ritschelius spurios habuit vv. 231. 232 [1]). Etiam in 191—194 Bacchidum versibus 191—194, ex quibus Ritschelius cum Hermanno v. 192, Ribbeckius autem (praef. Stich. Ritsch. p. 18) vv. 192. 194 ejecit, eadem orationis forma inest. Hae enim sunt eorum sententiae

a. *Quia, si illa inventast quam amat, vivit et valet: Si non inventast, minus valet moribundusque est.*
b. *Animast amica amanti:*
a[1]. *si abest, nullus est: Si adest, res nullast, ipsus est, nequam et miser.*

Copiosior etiam fit oratio, si sententiae repetitae etiam sententia causalis adjungitur, quae, ut per se patet, prioris sententiae causalis non multum dissimilis esse potest. Atque haec oratio quadripartita saepissime conformatur, ubi de aliqua re et generaliter et specialiter dicitur, ut Stich. 641—645, quorum versuum sententiae sic describendae sunt

a. *More hoc fit atque stulte mea sententia Si, quem hominem exspectant, eum solent provisere:*
b. *Qui hercle illa causa ocius nihilo venit.*
a[1]. *Idem ego nunc facio, qui proviso Sagarinum:*
b[1]. *Qui nihilo citius veniet tamen hac gratia.*

[1]) De ejusdem fabulae vv. 1050—1053, quamquam eorum oratio apertissime huc facit, nondum recte judicare possum.

Accidere autem posse, ut ad hoc exemplum etiam sententiae eorum qui animi motum quam gravissime verbis exprimere cupiunt, repetantur, facile intelligitur. Tamen Bacchidum aliquot loci, quorum oratio hoc modo conformata est, in suspicionem
148—151 vocati sunt. Atque mirari licet quod ex versibus 148—151

O barathrum, ubi es nunc? ut ego te usurpem lubens.
Video nimio jam multo plus quam volueram.
Vixisse nimio satiust jam quam vivere.
Magistron quemquam discipulum minitarier?

qui perspicuitate et simplicitate excellunt, Ritschelio v. 149, Brachmanno autem vv. 150. 151 offensioni fuerunt. Aptissima enim est magistri, discipuli impudentia valde perciti, copiosa oratio et optime excipiunt se sententiae. Nam versibus 148. 149 dicit Lydus in universum se mortem quaerere, quod videat quae non exspectaverit, versibus 150. 151 repetit ille eandem sententiam, sed multo gravius et accuratius, quum dicat ea de causa se sibi mortem quaerere quod videat magistro discipulum minitari. Itaque quum v. 150 versui 148, v. 151 versui 149 respondeat, singulae sententiae sic determinandae sunt

a. *O barathrum, ubi es nunc? ut ego te usurpem lubens.*
b. *Video jam nimio*[1] *multo plus quam volueram.*
a¹. *Vixisse nimio satiust jam quam vivere.*
b¹. *Magistron quemquam discipulum minitarier?*

161—167 Similis oratio invenitur in ejusdem scaenae versibus 161. 162 et 166. 167

a. *Compendium edepol haut aetati optabile Fecisti,*
b. *quom istanc nactu's inpudentiam.*

— — — — — — — — — — — — — —

a¹. *Edepol fecisti furtum in aetatem malum,*
b¹. *Quom istaec flagitia me celavisti et patrem.*

Hos versus Seyffertus (Stud. Plaut. p. 10) tractavit et tam aequales inter se esse vidit, ut vv. 166. 167 ad aliam fabulae recensionem referret. Sed versu 166 redit Lydus vehementius ad versuum 161. 162 sententiam, aegerrime ferens, quod Pistoclerus non prius malum ingenium ostenderit eoque effecerit ut

[1]) Cum Ritschelio pro librorum *Video nimio jam.*

a magistro et patre corrigi non posset ad ingenium bonum. Quae sententia mihi optime consentire videtur cum magistri qui officii sui non immemor est animo. Versibus igitur 166 sq. dicit Lydus Pistoclerum maxime peccasse eo quod impudentiam magistrum et patrem celaverit. Deinde etiam vis quaedam posita est et in his et in antecedentibus *Teque ad patrem esse mortuom renuntiem* (157) — *ecquid in mentemst tibi Patrem tibi esse?* (158 sq.), quae a Pistoclero satis gravate audiri ea quae is respondet docent. Nam his significat Lydus se ipsum discipuli flagitia patrem non celaturum esse. Similiter autem conformata est oratio Trin. 128 sqq., ubi Megaronides Calliclis quam suspicatur perfidiam castigans dicit

Edepol fide adulescentem mandatum malae.
Dedistine hoc facto ei gladium, qui se occideret?

deinde Calliclis verbis magis irritatus in extrema oratione (138 sq.)

Edepol mandatum pulcre et curatum probe.
Crede huic tutelam: suam rem melius gesserit.

Priore loco positas invenimus sententias causales in Chry- 640—667
sali cantico, quod continetur versibus 640—667. Ex quibus vv. 654—662 has sententias exhibent

b. { *Nullus frugi esse potest homo, Nisi qui et bene et male facere tenet.*
a. { *Improbis cum improbus sit, harpaget furibus*[1]*, furetur quod queat.*
b¹. { *Vorsipellem frugi convenit esse hominem, Pectus quoi sapit.*
a¹. { *bonus sit bonis, malus sit malis. Ut quaecumque res est, ita animum habeat.*

Quos versus omnes Anspachius (p. 34) retractatori tribuit, quod neque sententiarum repetitio, quae in iis invenitur, toleranda sit, neque ii cum antecedentibus consentiant. Ex his enim idem versum 641 *Nam duplum hodie facinus feci, duplicibus spoliis sum adfectus* ejecit, quod in hac fabulae parte duplicis

[1]) *harpaget furibus* cum libris scribendum est: nam Chrysalus dicit frugi hominem bonis bene, malis male facere debere, ut 643 sq. *Callidum senem callidis dolis Compuli . . .*

facinoris vestigium nusquam appareat. Anspachius igitur gravissimam hujus cantici sententiam omnino non perspexit. Nam toto hoc cantico dicit Chrysalus se summa laude dignum esse, quod callidum senem compulerit ut omnia sibi crederet (643 sq.), ejus filio autem regias copias dederit (645 sq.) eoque beneficio hunc superaverit[1]) et sibi conciliaverit. Atque duplex hoc facinus exaggerat ille versuum 654—662 generalibus sententiis, quae glorianti aptissimae sunt. Interpositis autem versibus 649—653 *Non mihi placent isti Parmenones* e. q. s., qui referendi sunt ad vv. 647 sq. *Regias copias aureasque optuli* e. q. s. deflectit ille paululum de ipsa re, quod saepius fieri ego supra (ad Bacch. 109 sqq.) satis ostendi.

500—525 Hic etiam tractandi sunt vv. 500—525, in quibus Kiesslingius (Anal. Plaut. 1878) has duas recensiones deprehendit: A. 500—502. 503 *(suo)* 506—514 (quales in Palatinis leguntur) 520—522. 524. 525, B. 500—502. 503 *(meo)* 504. 505. 515—519 cum tribus illis qui versum 519 in libris Palatinis sequuntur, 520—522. 524. 525. Sed neque haec quae Kiesslingius statuit, neque quae Brachmannus, ut nonnullos versus defenderet, protulit, mihi placent. Primum enim respiciendi sunt vv. 500—510

Inimiciorem nunc utrum credam magis,
Sodalemne esse an Bacchidem, incertum admodumst.
Illum exoptavit potius? habeat: optumest.
Ne illa illut hercle cum malo fecit suo[2]).
Nam mihi divini numquam quisquam creduat,
505. *Ni ego illam exemplis plurumis planeque amo.*
Ego faxo hau dicet nactam quem deluserit.
Nam jam domum ibo atque aliquid surrupiam patri.
507ᵃ. *Id isti dabo. ego istanc multis ulciscar modis.*
508. *Adeo ego illam cogam usque, ut mendicet meus pater.*
Set satine ego animum mente sincera gero,
Qui ad hunc modum haec hic, quae futura, fabulor?

In quibus Brachmannus, secutus priores editores, ferventis Mnesilochi orationem sic conformatam esse putat ut in cujusque

---

[1]) cfr. Bacch. 402 et Asin. 672 sq.
[2]) *suo* legitur in Ambrosiano, *suo meo* in Palatinis.

sententiae priore parte ira, posteriore amor praevaleat: eum igitur dicere voluisse in versu 503 *suo*, sed amore commotum dixisse *meo*, quod in Palatinis una cum *suo* servatum est, deinde v. 505 *amo* pro *ulciscar*, v. 507 *aliquid surrupiam patri* pro *omne aurum reddam*, v. 508 *ut mendicet pater* pro *ut mendicet Bacchis*. Quae sententiarum perturbatio si semel appareret, ferri posset, sed si saepius in eandem recidentem poeta ostendere voluisset Mnesilochum, ab hoc sentiri se errasse, verbo significari debebat. Hoc autem non modo non factum est sed etiam particula *nam* initio v. 504 posita ratiocinatione artissime conjuncta sunt quae acerbissime inter se opponenda erant. Neque dici potest Mnesilochum tam insanum esse ut quid dicat nesciat, quum aperte ille versibus 511 sqq. ostendat se scire quae antea dixerit. Neque umquam Plautus similia scripsit. Nam reliqui loci, in quibus verba παρὰ προσδοκίαν proferuntur, prorsus aliter comparati sunt, ut Trin. 723 *Credo ad summos bellatores acrem — fugitorem fore, Et capturum ibi spolia illum qui — meo ero advorsus venerit* e. q. s., vel Truc. II, 3, 23 *Verum nunc si qua mi obtigerit hereditas Magna atque luculenta, nunc postquam scio Dulce atque amarum quid sit ex pecunia: Ita ego edepol servem illam itaque parce victitem, Ut — nulla faxim cis dies paucos siet. Ego istos qui nunc me culpant confutaverim.* Qui ita loquuntur, consilio verum de se profitentur praeter opinionem spectatorum. Sed nostro loco Mnesilochum consilio loqui illi ipsi negant, neque eundem verum dicere verbis *meo — surrupiam patri — ut mendicet meus pater* ex insequentibus apparet.

Verum vidisse puto Hermannum, qui de versu 505 adnotavit *amo* acerbe dictum esse. Quae sententia stabilitur versu 503, quo, si Ambrosianum sequamur, Mnesilochus Bacchidem stulte fecisse dicit, quod amicum potius exoptaverit et ipsum, qui magnam auri copiam dare voluerit, contempserit, praesertim autem versu 510 *Qui ad hunc modum haec hic, quae futura, fabulor?* qui non intelligitur, nisi sic ut Mnesilochus dicat se jam prioribus, quamquam mirum in modum, futura indicasse, i. e. se Bacchidi nihil daturum esse jam antea se dixisse. Itaque statuendum est Mnesilochum versibus 504—508 eorum quae in mente habet contrarium dicere, quam sententiarum acerbitatem actor voce mutata facillime illustrare poterat. Neque vero recte ejecit Hermannus et post eum Ritschelius versum 507ᵃ *Id isti*

dabo: ego istanc multis ulciscar modis, quum Mnesilochus inde a versu 506, ubi ironice explicat quid facturus sit ut ostendat quam plane Bacchidem amet, in universum significet se aliud facturum esse atque eos amatores qui perfidas amicas donis ulcisci soleant, cujus rei insigne exemplum in Truculento invenitur. Quam ob rem etiam Ussingius plane erravit, cui Mnesilochi consilio aliquid surripiendi nihil ineptius esse videtur, quum Chrysali fraude ille jam satis superque habeat[1]). Optime autem convenit illi interpretationi quod Mnesilochus inde a versu 511 ad ea quae antea dixit recurrit iisque sinceram suam sententiam opponit. Id quod intelligitur ex versu 511 *Amo hercle opino utpote quod pro certo sciam*, quibus verbis Mnesilochum spectare ad vv. 504 sq. *Nam mihi divini numquam quisquam creduat, Ni ego illam exemplis plurumis planeque amo* nemo non videt, deinde ex versibus 515 sq. *Numquam edepol viva me inridebit. nam mihi Decretumst renumerare jam omne aurum patri*, qui opponuntur versibus 506 sq. *Ego faxo hau dicet nactam quem deluserit. Nam jam domum ibo atque aliquid surrupiam patri.*

Omnia autem quae Mnesilochus sincera mente loquitur haec sunt

511. *Amo hercle opino*[2]) *utpote quod pro certo sciam.*
Verum quam illa umquam de mea pecunia
Ramenta fiat plumbea[3]) *propensior,*
Mendicum malim mendicando vincere.
515. *Numquam edepol viva me inridebit. nam mihi*
Decretumst renumerare jam omne aurum patri.
Igitur mi inani atque inopi subblandibitur,
Quom mihi blandiri nihilo pluris referet[4]),
Quam si ad sepulcrum mortuo narres logos[5]).

---

[1]) cfr. Pseud. 286 *Si amabas, invenires mutuom. Ad danistam devenires, adderes faenusculum. Surruperes patri.*

[2]) Ussingius putat inepte dictum esse *opinor utpote quod pro certo sciam.* Sed ille non vidit *opino* (quod versus causa pro librorum *opinor* commendo) hic, ut alibi (Per. 13—15, Men. 661 sq.), ironice dictum vim verborum *amo hercle* augere.

[3]) Cum Nonio (222, 4).

[4]) Cum Niemeyero, cujus vide de fab. Plaut. dupl. recens. p. 37.

[5]) Cum eodem.

519a. *Sed autem quam illa umquam meis opulentiis*
519b. *Ramenta fiat gravior aut propensior*[1]),
519c. *Mori <mala>*[2]) *me malim excruciatum inopia.*
520. *Profecto stabilest me patri aurum reddere.*
Eadem exorabo, Chrysalo causa mea
Pater ne noceat, neu quid ei suscenseat
Mea causa de auro quod eum ludificatus est.
Nam illi aequomst me consulere qui causa mea
525. *Mendacium ei dixit. vos me sequimini.*

Ex quibus omnes fere editores vv. 519a—519c spurios habuerunt. Sed si illi hos versus recte ejecerint, non recte retinuerint v. 520, qui eodem sententiarum connexu cum iis conjunctus est ac vv. 515 sq. cum 512—514. Illo autem omisso hiat sensus apertissime inter 519 et 521. Deinde si continuatur v. 520 versibus 517—519, efficitur ut his Mnesilochus dicat se patri aurum redditurum esse ut Bacchidem ulciscatur, quod versui 511 *Amo hercle* e. q. s. plane repugnat. Hae difficultates evanescent, si cum libris vv. 519a—519c retinebimus. Tum Mnesilochus toto hoc loco dicet: ʻquamquam Bacchidem amo (511 = sent. b), tamen ei nihil dabo, quod me irrideri nolo (512—516 = sent. a): quamquam eadem hanc rem moleste feret (517—519 = sent. b[1]), tamen ei nihil dabo' (519a—520 = sent a[1]). Atque haec, quibus Mnesilochus significat nec suum dolorem nec Bacchidis poenam sibi tam gravia esse ut se a Bacchide irrideri ferre possit, et inter se et cum antecedentibus optime consentiunt. Neque offendendum est in illa sententiarum repetitione, quae a poeta evitari vix poterat neque ab oratione tam fervida aliena est. Simillimae praeterea reperiuntur sententiae Asin. 810

a. { *egone haec <ut> patiar aut taceam? emori Me malim,*
quam haec non ejus uxori indicem.

b. { *Ain tu? apud amicam munus adulescentuli Fungare,*
uxori excuses te et dicas senem? Praeripias
scortum amanti atque argentum obicias Lenae?
suppiles clam domi uxorem tuam?

---

[1]) cfr. Rud. 1016 *Numquam hercle hinc hodie ramenta fies fortunatior* et Aul. I, 1, 17 *si hercle tu ex istoc loco Digitum transvorsum aut unguem latum excesseris.*

[2]) Cum Camerario.

a[1]. *Suspendam potius me, quam tacita haec tu auferas. Jam quidem hercle ad illam hinc ibo* e. q. s.

Neque impugnare debebant Kiesslingius et Brachmannus versuum 521—525 copiosam orationem, quae et prorsus accommodata est ad Mnesilochi animum et venustate excellit. Nam ut versibus 394 sqq. dicit Mnesilochus hic se gratum esse debere erga hominem vere amicum, repetit autem hanc sententiam pertinacia fere ridicula, ut suam fidelitatem infidelitati amici et amicae quam gravissime opponat.

Sed ut satius perspiciatur quam saepe Plautus illi quam supra exposui orationi indulserit, nonnulla alia ex hoc genere afferam. Atque ex ipsa hac fabula fugerunt Brachmannum et Anspachium vv. 473—476.

a. *Erras Lyde:*
b. *ego omnem rem scio, Quemadmodumst:*
a[1]. *tu Pistoclerum falso atque insontem arguis:*
b[1]. *Nam ille amico et benevolenti suo sodali sedulo Rem mandatam exsequitur: ipsus neque amat nec tu creduas.*

Ex reliquis fabulis haec collegi:

Most 676

a. *Ecce autem <perii>: nunc quid dicam nescio.*
b. *Iterum jam ad unum saxum me fluctus ferunt.*
a[1]. *Quid nunc? non hercle, quid nunc faciam, reperio.*
b[1]. *Manufesto teneor.*

Aul. IV, 9, 10

a. *Heu me miserum: misere perii, male perditus, pessume ornatus eo.*
b. *Tantum gemiti et mali et maestitiae mi hic dies optulit, famam et pauperiem.*
a[1]. *Perditissumus ego sum omnium in terra.*
b[1]. *nam quid mi opust vita, qui tantum auri Perdidi, quod concustodivi sedulo?*

Stich. 727

a. *Haec facetiast:*
b. *amare inter se rivalis duos, Uno cantharo potare et unum scortum ducere.*

a[1]. *Hoc memorabilest:*
b[1]. *ego tu sum, tu's ego: unanimi sumus, Unam amicam amamus ambo* e. q. s.

Pseud. 423

a. *Occisast haec res, haeret hoc negotium.*
b. *Qua in commeatum volueram argentarium Proficisci, ibi nunc mihi oppido opsaeptast via.*
b[1]. *Praesensit:*
a[1]. *nihil est praedae praedatoribus.*

Amph. 644

a. *Apsit,*
b. *dum modo laude parta domum se Recipiat.*
a[1]. *feram et perferam usque abitum ejus animo Forti atque offirmato:*
b[1]. *id modo si mercedis Datur mi, ut meus victor vir belli clueat, Satis mi esse ducam.*

Epid. I, 1, 75

a. *quo in loco haec res sit vides, Epidice:*
b. *nisi quid tibi in tete auxilist, absumptus es.*
a[1]. *Tantae in te inpendent ruinae:*
b[1]. *nisi suffulcis firmiter, Non potes subsistere, itaque in te inruont montes mali.*

Pseud. 62

a. *Sino* (sc. pellegere):
b. *nam mihi videor cum ea fabularier.*
a[1]. *Lege:*
b[1]. *dulce amarumque una nunc misces mihi.*

Capt. 368

a. *Utroquevorsum rectumst ingenium meum,*
b. *Ad te atque <ad> illum.*
a[1]. *pro rota me uti licet:*
b[1]. *Vel ego huc vel illuc vortar, quo imperabitis.*

Etiam saepius repetitae sunt sententiae in his locis:

Trin. 1008

a. *Stasime, fac te propere celerem, recipe te ad dominum domum,*
b. *Ne subito malum exoriatur scapulis stultitia tua.*
a^1. *Adde gradum, adpropera: jam dudum factumst, quom abiisti domo.*
b^1. *Cave sis tibi, ne bubuli in te cottabi crebri crepent, Si aberis ab eri quaestione.*
a^2. *ne destiteris currere.*

Mil. 1242

a. *Minume:*
b. *Nam tu te vilem feceris, si te ultro largiere.*
a^1. *Sine ultro veniat, quaeritet, desideret, expetessat.*
b^1. *Nisi perdere istam gloriam vis, quam habes,*
a^2. *cave sis faxis.*

Asin. 91—95

a. *Maxumas nugas agis:*
b. *Nudo detrahere vestimenta me jubes.*
a^1. *Defrudem te ego?*
b^1. *age sis, tu sine pennis vola*[1]).
a^2. *Tene ego defrudem,*
b^2. *quoi ipsi nihil est in manu, Nisi quid tu porro uxorem defrudaveris?*

Stich. 290—300

a. *Sed tandem opino aequomst eram mihi esse supplicem atque eam Oratores mittere ad me donaque ex auro et quadrigas Qui vehar.*
b. *nam pedibus ire non queo. ergo jam revortar.*
a^1. *Ad me adiri et supplicari mi egomet aequom censeo.*
b^1. *An vero nugas censeas nilve esse, quod ego nunc scio* e. q. s. (295—297)
a^2. *Sic hoc videtur mihi magis meo convenire huic nuntio: Advorsum veniat, opsecret, se ut nuntio hoc inpertiam.*
b^2. *Secundas fortunas decent <fastidia et> superbiae.*

---

[1]) v. 93 a Fleckeiseno uncis inclusus est: cfr. Poen. IV, 2, 49 *Sine pennis volare haud facile est.*

His addendi mihi videntur Rudentis vv. 780—797, in quibus Daemones et Labrax inter se loquuntur, uterque autem ad priorem sententiam redit, ut talis fiat oratio

b. *Dae. Utrum tu leno cum malo lubentius Quiescis an sic sine malo, si copiast?*
c. *La. Ego quae tu loquere flocci non facio, senex. Meas quidem ted invito et Venere et summo Jove De ara capillo jam deripiam. Dae. tangedum. La. Tangam hercle vero. Dae. agedum ergo, accede huc modo .*

— — — — — — — — — — — — — — —

(792) b^1. *Dae. Facito istuc quod minitaris. sed nunc interim Si illas attigeris, dabitur tibi magnum malum. La. Quam magnum vero? Dae. quantum lenoni sat est.*
a^1. *La. Minas ego istas flocci non facio tuas. Equidem eas te invito jam ambas rapiam. Dae. tangedum. La. Tangam hercle vero. Dae. tanges, at scin quo modo?*

Jam pervenio ad eam orationem in cujus sententiis causalibus maxima vis ponitur, quaeque eam ob rem repetuntur. Cujus orationis abundantia satis mira est, quum saepissime ejus singulae sententiae etiam forma quae dicitur hypothetica arte inter se conjunctae sint. Non raro autem Plautum hac oratione usum esse docebunt haec, quae ex ejus fabulis collegi:

Amph. 904

b. *Nam certo] si sis sanus aut sapias satis,*
a. *Quam tu inpudicam esse arbitrere et praedices, Cum ea tu sermonem nec joco nec serio Tibi habeas,*
b^1. *nisi sis stultior stultissimo.*

Asin. 105 sq.

b. *si forte in insidias devenero*[1]),
a. *Tun redimes me,*
b^1. *si me hostes interceperint?*

---

[1]) v. 105 ejecerunt Fleckeisenus et Ussingius, defendit Vahlenus (Herm. 14, 447) sic eum restituens: *<Dem.> Quid <vis? Lib.> si forte in insidias devenero.*

Aul. II, 8, 10

b. *festo die si quid prodegeris,*
a. *Profesto egere liceat,*
b^1. *nisi peperceris.*

Truc. II, 6, 35

b. *Quom tu recte provenisti quomque es aucta liberis,*
a. *Gratulor,*
b^1. *quom mihi tibique magnum peperisti decus.*

Men. 528

b. *Et istuc et aliud] si quid curari volet,*
a. *Me curaturum dicito,*
b^1. *quicquid volet.*

Pseud. 373

b. *Nisi mihi hodie attulerit miles quinque quas debet minas Sicut haec est praestituta summa ei argento dies,*
b^1. *Si id non affert,*
a. *posse opinor facere me officium meum.*

Asin. 878

b. *Possis] si forte adcubantem tuum virum conspexeris Cum corona amplexum amicam,*
b^1. *si videas,*
a. *cognoscere?*

Liberius conformata est oratio Rud. 190—197

b. *Nam hoc mihi hau sit labori laborem hunc potiri, Si me erga parentis aut deos inpiarim:*
a. *Sed id si parate curavi ut caverem, Tum mi hoc indecore, immodeste datis di. Nam quid habebunt posthac <insigne> inpii, Si ad hunc modumst honos apud vos innoxiis?*
b^1. *Nam me si fecisse aut parentes sciam Sceleste, minus <nunc> me miserer.*

et Rud. 965

b. *Et qui invenit hominem novi et dominus qui nunc est scio.*

a. *Nihilo pol pluris tua hoc quam quanti illud refert mea.*
b^1. *Ego illum novi, quojus nunc est: tu illum quojus antehac fuit.*

Apud Sophoclem inveni hanc orationem: Oed. Tyr. 883—891, Elec. 583. 584, Aj. 1386—1392.

Ex Bacchidibus hic afferendi sunt vv. 121—124 121—124

An non putasti esse umquam? o Lyde, es barbarus,
Quem sapere nimio censui plus quam Thalem.
I, stultior es barbaro Poticio,
Qui tantus natu deorum nescis nomina,

ex quibus Anspachius (p. 6) vv. 122. 123 prorsus temere ejecit. Nam in verbis *An non putasti esse umquam?* inest sententia causalis, quum versus 121 sensus sit: 'si numquam putasti esse deum Suavisaviationem, es barbarus, o Lyde'. Illa antem repetitur gravius versu 124. Quae intercedunt sic comparata sunt ut Pistoclerus versu 123 acerbius repetat Lydum esse barbarum. Sic igitur versuum 121—124 sententiae describendae sunt

b. *An non putasti esse umquam?*
a. *o Lyde, es barbarus, Quem sapere nimio censui plus quam Thalem.*
a^1. *I, stultior es barbaro Poticio,*
b^1. *Qui tantus natu deorum nescis nomina.*

Reliquum est ut de duobus Bacchidum locis dicam, quorum singulari condicione factum est ut verborum copia excellant.
Ex quibus furentis paedagogi canticum, quod continetur ver- 368—384
sibus 368—384, viros doctos satis superque adhuc sollicitavit. Jam Guyetus expunxit vv. 379—381, post eum Ritschelius: 377. 378, Fleckeisenus: 377. 378. 382, Ussingius: 379—382, Langenus (l. l. p. 169): 378—382. Duas recensiones constituit Bergkius (diur. antiq. stud. a. 1850 p. 330): A. 375. 376. 379. 380. 381. 383. 384, B. 375. 376. 379. 377. 378. 382. 384. Goetzius (Act. soc. phil. Lips. VI, p. 259) retulit ad rec. A: 379—382, ad B: 375—378. 383. 384, Brachmannus (p. 123) ad A: 379—381. 383. 384, ad B: 375—378. 382. 384. Anspachius (p. 18) condonavit Plauto 368—370. 375—377. 383. 384.

Sed jam in eo errasse mihi videntur viri docti quod retractationis vestigia viderunt in versibus 382—384

Nunc priusquam malum istoc addis, certumst jam dicam patri.
De me hanc culpam demolibor jam, et seni faciam palam,
Ut <gnatum> ex lutulento coeno propere hinc eliciat foras,

quorum sententiae artissime inter se conjunctae sunt. Nam eadem sententia, quae inest in verbis *Nunc priusquam malum istoc addis,* quibus Lydus significat se rem seni palam facturum esse, ne filius novum malum priori addat, exprimitur accuratius versu 384, quo Lydus dicit se rem seni indicaturum esse, ne Pistoclerus diutius remoretur apud Bacchidem, qua re ille prohiberi tantum poterat amplius peccare. Versu autem 383 repetit Lydus multo gravius sententiam verborum *certumst jam dicam patri*, quum verbis *De me hanc culpam demolibor jam* ille causam addat, cur ipse rem patri dicere debeat. De qua orationis gradatione jam supra dictum est. Fines igitur sententiarum hi sunt

b. *Nunc priusquam malum istoc addis,*
a. *certumst jam dicam patri.*
a^1. *De me hanc culpam demolibor jam, et seni faciam palam,*
b^1. *Ut<gnatum> ex lutulento coeno propere hinc eliciat foras.*

Neque antecedentes vv. 368—381 mihi ulla interpolatione corrupti esse videntur. Quos versus omnes hic affero.

Pandite atque aperite propere januam hanc Orci, obsecro.
Nam equidem haut aliter esse duco: quippe quo nemo advenit,
Nisi quem spes reliquere omnes, esse ut frugi possiet.
Bacchides non Bacchides, sed Bacchae sunt acerrumae.
Apage istas a me sorores, quae hominum sorbent sanguinem.
Omnis ad perniciem instructa domus opime atque opipare<st>:
Quae ut aspexi, me continuo contuli protinam in pedes.
Egone ut haec conclusa gestem clanculum? ut celem patrem,
Pistoclere, tua flagitia aut damna aut desidiabula?
Quibus patrem et me teque amicosque omnis affectas tuos
Ad probrum, damnum, flagitium appellere una et perdere.
Neque mei neque te tui intus puditumst factis quae facis:

Quibus tuum patrem, meque uua, amicos adfinis tuos,
Tua<d> infamia fecisti gerulifigulos flagiti.

Ex his maxime offenderunt viros doctos vv. 375—381. Sed optime cohaerent eorum sententiae. Nam versibus 375. 376 dicit Lydus se *haec*, i. e. quae aspexerit flagitia intus (374), patrem Pistocleri celare non posse, versibus autem 377. 378 explicat ille, quanta ea flagitia sint. Versu 379 revertitur Lydus ad ea quae intus aspexit, exclamans Pistoclerum ne puduisse quidem talia praesente magistro in Bacchidum aedibus facere. Atque his significat Lydus gravissimum eorum quae viderit. Prorsus idem sentit ille postea vv. 481 sq. *Nam alia memorare, quae illum facere vidi, dispudet: Quom manum sub vestimenta tetulit Bacchidi Me praesente neque pudere quicquam.* Illis autem addit Lydus iterum versibus 380. 381, quanta ea sint quorum ne puduerit quidem Pistoclerum. Sic igitur sententiae describendae sunt

a. { *Egone ut haec conclusa gestem clanculum? ut celem patrem, Pistoclere, tua flagitia aut damna aut desidiabula?*
b. { *Quibus patrem et me teque amicosque omnis affectas tuos Ad probrum, damnum, flagitium appellere una et perdere.*
a^1. *Neque mei neque te tui intus puditumst factis quae facis:*
b^1. { *Quibus tuum patrem, meque una, amicos, adfinis tuos Tua<d> infamia fecisti gerulifigulos flagiti.*

Jam apertum est sententias a. b. a^1. prorsus recte procedere, neque omnino esse cur in iis offendatur. Sed ne sententia b^1 quidem aliena est a tali oratione. Eadem enim ratio intercedit hoc loco inter sententias b et b^1 atque in illis locis quos supra attuli. Nam sententia b dicit Lydus Pistoclerum factis suis efficere[1] ut et ipse et pater et alii ad probrum, damnum, flagitium, velut navis ad scopulos, appellantur et intereant[2]), sen-

---

[1]) *affectas* idem est ac nostrum *du bist auf dem Wege.* Propter imaginem, quae insequente versu exprimitur, non necesse erat ut Plautus hic, ut in duobus reliquis locis, in quibus illud vocabulum invenitur, *viam* adderet.

[2]) cfr. Epid. II, 2, 35 *Cum illa quam tuos gnatus annos multos deamat, deperit, Ubi fidemque remque seque teque properat perdere.*

tentia b[1] autem significat ille accuratius, qua ratione Pistoclerus eosdem probro, damno, flagitio perdat, quum dicat eos illius factis ignominia affectos esse[1]). Neque recte ejecerunt critici aut versum 377 aut v. 380 ideo quod in utroque fere eadem verba inveniuntur. Nam vis orationis augetur non solum exaggeratione sed etiam repetitione verborum, quod saepius apud Plautum factum esse videmus ex Bacch. 477 *Itane oportet rem mandatam gerere amici sedulo . . . Nullon pacto res mandata potest agi . . ?* 1094 *Chrysalus me hodie <de>laceravit, Chrysalus miserum spoliavit,* 1096 *Ita miles memorat meretricem esse, uxorem quam ille esse aibat: Omniaque, ut quidque actumst, memorat,* Aul. II, 3, 8 *Nunc nobis prope adest exitium, mi atque erili filiae, Nunc probrum atque partitudo prope adest ut fiat palam,* Capt. 520 *Nec subdolis mendaciis mihi usquam mantellumst meis Nec sucophantiis nec fucis ullum mantellum obviamst*[2]), Most. 603 *Cedo faenus, redde faenus, faenus reddite. Daturin estis faenus actutum mihi? Daturin faenus?* In nostro autem cantico Lydum exaggeratione verborum satis superque uti docent haec: *pandite atque aperite — opime atque opipare — continuo protinam — egone ut haec conclusa gestem clanculum, ut celem? — lutulento coeno.* Itaque illum etiam repetitione verborum hoc loco uti potuisse justo jure statuitur. Atque ita haec consentit cum furentis paedagogi animo, qui valde ridicule omnia quantum potest verbis auget, ut si pro illa verborum copia versus 380 *Quibus tuum patrem, meque una, amicos, adfinis tuos*[3]) breviora posita essent,

---

[1]) cfr. 498 *Qui dedecorat me, te amicum, atque alios flagitiis suis.* Langenus l. s. l. offendit in voce *gerulifigulos.* Sed gradationis causa duae notiones uno vocabulo continentur, quum eo dicatur non solum oneratos esse Pistocleri flagitio patrem et alios (*damnigeruli* dicuntur Truc. II, 7, 1 ii qui Diniarchi damna portant) sed eosdem effecisse ut id flagitium oreretur, quod Pistoclerum non correxerint ad ingenium bonum. Similis vis videtur mihi inesse in voce *contortiplicata* (Per. 708), quo significatur et contorta et plicata esse Persarum nomina.

[2]) De hoc ut de multis aliis hujus fabulae locis praepropere judicatum esse puto.

[3]) Nimis severi fuerunt Langenus et Fritzschius (Ind. lect. Rost. 1878) in hujus versus vocabulum *adfinis,* quod Lydus e more suo potissimum propter consonantiam, quae intercedit inter hoc et proximum *amicos,* hic posuit (cfr. 371. 372. 373. 375. 379).

concinnitas sententiarum plane deleta esset. Sed multi neque vim comicam neque sententiarum concinnitatem in recensionibus de hoc cantico resecandis satis curasse videntur.

Restat ut Langeni sententiam refellam, cui l. s. l. verisimile videtur Nonium, qui, pag. 75 versum 377 *Quibus patrem et me teque amicosque omnis affectas tuos* afferens, *affectare* idem valere atque *afficere* dicit, versum insequentem in suo exemplari non reperisse. Equidem miror qui hoc Langeno verisimile — unice verum Anspachio — videri potuerit. Nam qua fortuna in Nonii, exemplar vocabulum *affectas* irrepserit, in Palatinos autem, qui *adflictas* exhibent pro *affectas*, versus 378 *Ad probrum, damnum, flagitium appellere una et perdere,* qui sine *affectas* omnino intelligi non potest, haud facile quisquam explicabit. Multo veri similius est errore librarii, qui vim vocabuli *affectas* non perspexit, in Palatinos *adflictas* irrepsisse, Nonium autem, a quo saepissime sententiae imperfectae afferuntur (cfr. pagg. 361, 29. 495, 16. 73, 3. 191, 11), quum in libro suo id potissimum ageret ut insolentiora corraderet, nostro loco eodem modo errasse ac p. 192, 20 ubi ille ex Trin. 1090 affert *propter eosdem, quorum causa fui hoc aetate exercitus,* explicans *aetas* etiam generis masculini esse, vel p. 176, 26, ubi idem e Merc. 10 affert *sed eam simplicitus dicam si opera est auribus,* de adverbio *simplicitus,* ut Ritschelius ait, somnians (cfr. etiam p. 200, 5. p. 224, 23 et Ritschelii opusc. II p. 616).

In altero loco, qui continetur versibus 477—488 loquitur 477—488
idem Lydus de iisdem discipuli flagitiis hunc in modum

Itane oportet rem mandatam gerere amici sedulo,
Ut ipsus in gremio osculantem mulierem teneat sedens?
Nullon pacto res mandata potest agi, nisi identidem
Manus ferat ad papillas <aut> labra a labris nusquam auferat?
Nam alia memorare, quae illum facere vidi, dispudet:
Quom manum sub vestimenta ad corpus tetulit Bacchidi
Me praesente, neque pudere quicquam. quid verbis opust?
Mihi discipulus, tibi sodalis periit, huice filius.

Nam ego illum perisse dico, quoi quidem periit pudor.
Quid opust verbis? si opperiri vellem paulisper modo,
Ut opinor illi inspectandi mi esset major copia,
Plus vidissem quam deceret, quam me atque illo aequom foret. [1])

In quibus versibus pulcherrima quaeque deleverunt Brachmannus et Ussingius, quum non viderent paedagogum consilio accurate et magis accurate quae discipulum apud Bacchides facere vidit enarrare, ut eum patri et sodali periisse ostendat. Ac primum offendit Brachmannus in versibus 477—480, quorum duos posteriores ille ut supervacaneos ejecit. Sed his priorum versuum sententias accuratius et gravius proferri facillime intelligitur. Singulae igitur sententiae sunt hae

a. *Itane oportet rem mandatam gerere amici sedulo,*
b. *Ut ipsus in gremio osculantem mulierem teneat sedens?*
a^1. *Nullon pacto res mandata potest agi,*
b^1. *nisi identidem Manus ferat ad papillas <aut> labra a labris nusquam auferat?*

Similis oratio invenitur Most. 25

Haecine mandavit tibi, quom peregre hinc it, senex?
Hocine modo hic rem curatam offendet suam?
Hocine boni esse officium servi existumas
Ut eri sui coruumpat et rem et filium?
Nam ego illum corruptum duco, quom his factis studet.
Quo nemo adaeque juventute ex omni Attica
Antehac est habitus parcus nec magis continens,
Is nunc in aliam partem palmam possidet.

Qui locus solum eo a nostro differt quod ea quae pronominibus demonstrativis initio versuum 25—27 positis significantur, versu 28 demum accuratius proferuntur. Praeterea autem prorsus eodem modo procedunt sententiae inde a versu 29 usque ad v. 32 ac nostro loco versibus 481—483

Nam alia memorare, quae illum facere vidi dispudet:
Quom manum sub vestimenta ad corpus tetulit Bacchidi
Me praesente, neque pudere quicquam.

---

[1]) De versibus 486—488 vide Vahlenum in Herm. XV p. 260 et 274.

Nam ut his nostri loci sententiae illae b. b^1 latius explicantur, ita quae inest in Mostellariae versu 28 sententia versibus 29—32 explanatur. Idem demonstrant etiam Rudentis vv. 187 sqq.

Hoc deo conplacitumst, med hoc ornatu ornatam in regiones
<Esse> incertas timidam ejectam? hancine ego ad rem natam miseram
<Me> memorabo? hancine ego partem capio ob pietatem praecipuam?
Nam hoc mi hau sit labori laborem hunc potiri e. q. s.

Etiam Langenus, qui (p. 50) v. 479 tollit, quod modus conjunctivus vocabulorum *ferat* et *auferat* (480) ferri non possit, quum Lydus res vere factas enarret, mihi errasse videtur. Nam sententia generalis, quae inest in verbis *Nullon pacto res mandata potest agi* confertur in insequentia, quae explicationis causa addita sunt, quum versuum 479 et 480 sensus sit: 'nullon nisi hoc pacto res mandata potest agi ut manus ferat?' Prorsus idem invenitur Most. 458 *quo modo pultare potui, si non tangerem?*, quem locum Langenus, quamquam gravate, integrum reliquit, et Bacch. 447 *hocine hic pacto potest Inhibere imperium magister, si ipsus primus vapulet?* ubi idem *vapulat* scripsit. Sed nihil mutasset, si hos locos una respexisset. Ceterum lepidissime inter se composita esse verba *identidem ferat* et *nusquam auferat* quis est quin videat?

Gravissimae autem offensioni fuerunt Ussingio et Brachmanno vv. 486—488, ex quibus iis verba *Quid opust verbis* moleste ex versu 483 repetita, reliqua autem supervacanea esse videntur. Sed prorsus alia vis inest in versus 486 verbis *Quid opust verbis* atque in iisdem versus 483. Nam verbis *quid opus est verbis* non solum significatur breviorem sententiam prolatum iri sed etiam antecedente graviorem. Qua re factum est ut illa verba saepius idem fere valeant ac *immo*. Quae res satis convincitur Rudentis versibus 588—591

Quasi vinis Graecis Neptunus nobis suffudit mare,
Itaque alvom prodi speravit nobis salsis poculis.
Quid opust verbis? si invitare nos paulisper pergeret,
Ibidem obdormissemus: nunc vix vivos nos amisit domum.

Ex quibus vv. 590 sq. etiam alia de causa cum nostro loco optime comparari facile intelligitur. Magis fere conspicitur illa consuetudo Rud. 83

Pro di inmortales, tempestatem quojus modi
Neptunus nobis nocte hac misit proxuma.
Detexit ventus villam: quid verbis opust?
Non ventus fuit, verum Alcumena Euripidi:
Ita omnis de tecto deturbavit tegulas:
Jnlustriores fecit fenstrasque indidit.

Alia hujus modi inveniuntur: Amph. 443—446, Poen. III, 2, 1 sq., Trin. 553 sq., Capt. 937. Itaque versus 483 verbis dicit Lydus se satis argumentorum elocutum esse, iisdem versus 486: se omnium gravissimum allaturum esse. Similiter comparata est oratio Aul. III, 4, 9, ibique sententiae sic determinandae

a. { *quid opust verbis? ita mi pectus peracuit: Capio fustem,*
optrunco gallum, furem manufestarium.
b. { *Credo edepol ego illi mercedem gallo pollicitos coquos,*
Si id palam fecisset.
a¹. { *exemi ex manu manubrium. Quid opust verbis? factast*
pugna in gallo gallinaceo.

Nostro autem loco maxima vis posita est in argumentis, quum Lydus, qui a versu 476 proficiscens versibus 477 sqq. Mnesilocho respondet, pedetemptim eo progrediatur, ut discipulum periisse, quod jam versu 468 contendit, iis ipsis ostendat. Rectissime igitur et prorsus e more Plautino totius loci oratio sic conformata est:

b. { *Itane oportet rem mandatam gerere .... Me praesente*
neque pudere quicquam.
a. { *quid verbis opust? Mihi discipulus, tibi sodalis periit,*
huice filius. Nam ego illum perisse dico quoi
quidem periit pudor.
b¹. { *Quid opust verbis? si opperiri vellem paulisper modo,*
Ut opinor illi inspectandi mi esset major copia,
Plus vidissem quam deceret, quam me atque illo
aequom foret.

Vita.

Georgius Otto Paulus Weise natus sum die XIX m. Februarii a. 1853 Straupitzii patre Christiano, matre Mathildi e gente Hornung, quam nuperrime morte mihi ereptam esse valde lugeo. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis Cottbusii imbutus ejusdem urbis gymnasium frequentavi usque ad a. 1873, a quo tempore studia mea per quattuor fere annos variis rebus varie distracta sunt. Vere demum a. 1878 maturitatis testimonium sine magistro Berolini consecutus sum. Deinde in universitate Friderica Guilelma per octies sex menses scholas audivi horum virorum doctorum: Bellermanni, Curtii, Grimmii, Huebneri, A. Kirchhoffii, Muellenhoffii, Schereri, Vahleni, Zelleri. Ad exercitationes theodiscas benigne me admisit Muellenhoffius per quater sex menses, seminarii philologici regii sodalis ordinarius fui per bis sex menses. Praeceptoribus meis omnibus, imprimis Kirchhoffio, Muellenhoffio, Vahleno, gratias ago candidissimas.

Sentenтiae controversae.

---

1. Mil. Glor. Plaut. v. 676 et librorum et Nonii testimoniis sic commendari:

   Deum virtute est unde hospitio accipiam, apud mest comitas.

2. Merc. Plaut. v. 185 collocari aptius cum libris post v. 181.
3. Philoct. Soph. 728 lego *πλάθει βάσιν* pro librorum *πλάϑει πᾶσι.*
4. Philoct. Soph. vv. 1442—1444 retineo.
5. Aulul. Plaut. II, 5, 11 sq. lego

   — — — — — *Stultus et sine gratia's.*
   Tibi recte facere, quando qu<i>d facias, perit.

6. Merc. Plaut. vv. 879 sqq. sic scriptos fuisse arbitror:

   Recipe te ad terram, Charine, huc: non me ex advorso vides?
   Atrae nubis imberque istic. aspice ad sinisteram:
   Caelum ut est splendore plenum <non> ex advorso vides?

7. Merc. Plaut. v. 676 sic restituerim:

   Qui <hic> hanc vicini <Apollinis> nostri aram augeam.

8. Helgakviðae Hundingsb. II (ed. Bugge) stropham 21 totam Guðmundo tribuendam ejusque priorem partem sic scribendam:

   þvi fyrr skoto<m> *at Frekasteini*
   <en> sâttir saman *um sakar dœma.*

9. Helgakviðae Hundingsb. II stropham 27 *En at Styrkleifom Starkaðr konungr* e. q. s. additamentum esse.
